
RITUS EXACTUS SERVANDUS IN CELEBRATIONE MISSAE PRIVATAE JUXTA RUBRICAS MISSALIS ROMANI, DECRETA...

Konstantin Hagerer




BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
42
2 II
25
FONDO EBORENSE

RITUS EXACTUS
Servandus in Celebratione
MISSÆ PRIVATÆ
Juxta
Rubricas Missalis Romani, Decreta Pontificia, præsertim Sac. Rit. Congregat. ac Mentem probatissimorum Authorum instructus, per additionem frequentiorum Errorum practicè dilucidatus, atque novissimè in duas Partes divisus; ubi in Parte I. tractatur de Missa in genere: in II. verò, de Missis Votivis & Defunctorum in specie; nec non de Orationibus in Missa per annum dicendis.

AUTHORE
P. F. CONSTANTINO HAGERER,
Ord. Min. S. Francisci Reformat. Provinciæ Bavariæ Sacerdote.

Editio secunda correctior & auctior.
Cum Facul. Superiorum, & Priv. S. C. Majestatis.

Impensis, Joannis Gastl., Bibliopolæ Pedepontani prope Ratisbonam

Monachii, Typis Mariæ Magdalenæ Riedlin, Viduæ. Anno 1741.

APPROBATIO

Reverendissimi Ordinariatûs Frisingensis.

CUm Tractatus inscriptus, *Ritus Exactus servandus in Celebratione Missæ Privatæ*, à P. F. Constantino Hagerer Ordinis Minorum S. Francisci Reformat. Provinciæ Bavariæ collectus, non solùm nihil contra fidem, aut bonos mores in se contineat, imò potiùs Ecclesiæ & Venerabili Sacerdotio apprimè utilis, & publicis typis perdignus censeatur, conceditur Licentia, ut imprimatur. Frisingæ 9. Septemb. 1715.

Joannes Baptista Ignat. de Pfistern, Can. Consil. Præpositus ad S. Joannem, & Officialis.

Licentia Ordinis.

CUm à duobus nostræ Reformationis Lectoribus Theologis revisum, & approbatum fuerit quoddam Opusculum, cui Titulus, *Ritus Exactus servandus in Celebratione Missæ Privatæ*, à Patre F. Constantino Hagerer Reformatæ nostræ Provinciæ Bavariæ Sacerdote, jussu R. P. Ministri Provincialis collectum, & compilatum: Nos tenore præsentium eidem facultatem impertimur, quatenus Typis illud mandare possit, si videbitur iis, ad quos spectat. Romæ ex Conv. S. Francisci ad Ripas, 22. Febr. 1716.

F. Deodatus à Roma,
Vice - Commissarius Generalis.

FA-

FACULTAS

Admodùm Reverendi Patris Ministri Provincialis.

UT Opusculum, cui Titulus, *Ritus Exactus servandus in Celebratione Missæ Privatæ*, à P. F. Constantino Hagerer Ord. Min. S. Francisci Reformat. Provinciæ nostræ Bavariæ Sacerdote collectum, atque à duobus Theologis revisum, & approbatum pro utilitate publica Typis mandari possit, tenore præsentium facultatem impertimur. Monachii 1. Mart. 1716.

Fr. Sigismundus Neudecker,
Minister Provincialis, &
Lector Jubilatus.

APPROBATIO THEOLOGICA

I.

MAteriam hanc, sive *Ritum Exactum servandum in Celebratione Missæ Privatæ*, à P. F. Constantino Hagerer Reformatæ Provinciæ Bavariæ Sacerdote compilatam, conformiter Ritibus S. Romanæ Ecclesiæ, ab omnibus Sacerdotibus uniformiter peragendæ, unà cum Rubricis ejusdem Missæ illustratam, & doctrinâ solidâ probatissimorum Auctorum desuper tractantium firmatam, ex Commissione A.R.P. Ministri Provincialis, &c. sedula, & attenta lectione revidi, eámque omnibus numeris absolutam, ac exactè traditam reperi. Quam idcirco ad addiscendum à Junioribus Sacerdotibus, tam Cleri Sæcularis, quàm Regularis pro prædicta conformitate, ac uniformitate debitè observanda, summè utilem, & Ecclesiæ decoram, ideóque prælô dignissimam censeo. Landishuti, 26. Augusti, 1715.

F. Ericus Fierman, Provinciæ Diffinitor, Lector Generalis.

Appro-

Approbatio Theologica
II.

OPus, cui Titulus, *Ritus Exactus servandus in Celebratione Missæ Privatæ*, studio & labore P. F. Constantini Hagerer Ord. Fratrum Min. Reformat. Almæ Provinciæ Bavariæ, juxta novissima Summorum Pontificum, ac SS. Rituum Congregationis Decreta conformiter Rubricis Missalis Romani compilatum, ex Commissione A. R. P. Ministri Provincialis diligenter legi & relegi, nec inveni quidquam continens à Fide Catholica alienum, aut bonis moribus contrarium, aut Ritibus Ecclesiasticis repugnans; quin imò Rubricas clara methodo complectens: quod, si Mystæ Dei bene inspiciant, ac diligenter volvant & revolvant, studeántque suos emendare defectus (quos solent nonnulli satis frequenter celebrando absque scrupulo committere) & se conformare Regulis in hoc contentis, absque dubio Cultus Divinus circa tremendum Missæ Sacrificium vel maximè promovebitur. Hinc, ut Opus isthoc non tam utile, quàm necessarium mediante prælo cunctis elucescat, & commune fiat, dignum omnino censeo. Tölzii in Conventu nostro FF. Minorum Reformatorum ad SS. Trinitatem, 26. Augusti 1715.


F. Leontius Strohueber, SS. Theol. Lector Generalis.

FACULTAS
Cum Privilegio Cæſareo.

UT Tractatus, cui Titulus, *Ritus Exactus ſervandus in Celebratione Missæ Privatæ*, à P. F. Conſtantino Hagerer Ord. Minor. S. Franciſci, & Reformatæ Provinciæ Bavariæ Sacerdote collectus, & auctus reimprimi poſſit, concedimus; ſimúlque Domino Joanni Gaſtl, Bibliopolæ Pedepontano facultatem facimus, ut eundem Tractatum reimprimi faciat, ſuíſque ſumptibus, & emolumentis diſtrahat: cum plenario uſu Privilegii conſueti, ſuper impreſſione & diſtractione Librorum Fratribus Minoribus Regularis ac Strictioris Obſervantiæ conceſſi. Monachii 8. Septembr. 1740.

F. Sabinianus Fritſch, Concionator Generalis, Miniſter Provincialis.

Præ-



Præfatio ad Lectorem.

OPusculo hoc: *sive* Ritu Exacto, &c. *è fuligine denuo egresso, & reimpresso, quædam sunt, quæ Lectori Benevolo, pro utili, simúlque commodo usu notanda veniunt. Sunt autem sequentia.*

Primò: *Agitur hìc solummodo de Missa privata (quamvìs nonnulla de Missa solemni admixta sint) & quidem juxta literam Rubricæ Missalis Romani, ac mentem probatissimorum Rubricistarum, qui in decursu videri poterunt.*

Secundò: *Verba Rubricæ fideliter sunt expressa per litteras minores, sive (ut vocant)* in forma cursiva: *licèt non omnia hac forma expressa, verba Rubricæ censenda sint; quod & legenti patebit.*

Tertiò: *Errores notati (qui tamen non omnes culpam Theologicam indigitant) tum ex Rubrica, tum ex Authoribus, tum etiam aliunde collecti sunt. Quòd autem plures re-*

censuerim, ex eo factum scias, ut contrariis juxta se positis, Rubricæ consona & dissona magis elucescant, errantes se recolligant, & juniores ab erroribus contrahendis faciliùs se contineant. Sunt autem iidem regulariter non ipsis Titulis, sed Titulorum Numeris applicandi.

Quartò: *Non est existimandum, omnes in hoc compendio esse expressos errores; cùm impossibile foret, omnes recensere. Quare reliquos, præsertim eos, quos Devotuli nonnulli, singularitati, & privatæ devotioni suæ plùs, quàm Rubricæ, & Ritibus Ecclesiæ attendentes, committere solent, ex ipsa Rubrica colligere, & corrigere oportet.*

Quintò: *Materia Partis II. ex industria in tres Titulos, & Tituli in Paragraphos divisi sunt; idque ob tuam cōmoditatem, præcipuè, ut modus sumendi Orationes tam in* Missis Votivis, *&* de Requiem, *quàm* per annum *quocunque & pro omni tempore, ad manus habeatur. Ex qua etiam ratione dictæ Orationes, & modus eas sumendi, juxta ordinem annum, & festorum, studiosè instructi sunt.*

Sextò:

Sextò, & ultimò: *Monetur Benignus Lector, ne miretur, quòd hæc* Editio, *quà correctior, in lucem prodeat; Decretis quippe S. Rit. Congreg. recentioribus, & de novo acquisitis pro possibili conformanda erat. Nec tamen ex hoc quis inferat, primam Editionem erroneam prodiisse; minimè: prodiit enim juxta fundatam mentem probatorum, & in Rubricis versatissimorum Authorum; unde etiam (aliâ S. R. Con. Declaratione non habitâ) probabilitate sua pro tunc non carebat. Amodo verò acquisitîs S.R.C. Decretîs, Ritus hic Exactus eisdem conformis prodit, aliîs Authorum opinionibûs quibuscunque dimissîs. Nec novum hoc cuiquam videatur; cùm & alii (quos scio) ab eadem Sacra Cong. reformati sint. Ad hoc enim S. R. Congregatio, præter alia, instituta est, ut Authoribûs (Rubricâ non clarâ, vel deficiente) diversa opinantibûs, declaret, vel etiam decernat, quod Rubricæ, & Constitutionibus Ecclesiasticis conformius judicaverit. Imò, benè notandum est, quod Cajet. Merati S.R.Cong. Consultor in Præfatione Novar. Observat. monet, dicens:* Mirari, & multò minùs subeat criminari, si in Decretis diversa quandoque, imò & adversa pronuntien-

nuntientur, & edicantur. Norunt, qui in Divinarum disciplinarum fonte vel summa labia proluerunt, quæ Divino jure sunt scita, puta Sacramenta, & quæ ad eorum substantiam pertinent, ea semper immutata permanere fixa, & immobili lege: at, quæ ad disciplinam pertinent, & Ritus, Ecclesiastica authoritate constituta, Ecclesiastica item authoritate pro tempore, & moribus subire variationem. Quare mirum videri non debet, nec absonum, si quandoque pronuntietur, & edicatur secùs, ac fuerit olim statutum. Animadvertere etiam lubet, quòd hujusmodi Decreta aliquando sint Municipalia, ut vocant, pro aliquo nempe determinato loco, seu Diœcesi; aliquando verò universalia, seu quæ pro universali Ecclesia ex Declarationibus à Sac. Congregatione datis, inferuntur. Mirum igitur videri non debet, si quandoque Decretum aliquod particulare, & editum pro casu tantùm, de quo agitur, non consonet Decretis universalibus. *Hæc ille.*

Et

Et hæc sunt, quæ Editioni huic præmittenda videbantur. Utere igitur hoc Libello; nec pœnitebit, si contractos forsan Rubricæ adversantes abusus, & consuetudines ex eo emendare, Rubricas Ecclesiæ observare, & Deo Ter Optimo, Maximo quoad extrinsecam quoque devotionem acceptabile Sacrificium immolare didiceris.



SYNOPSIS

Titulorum, & Paragraphorum, qui in hoc Opusculo continentur.

PARS I.

TITULUS I.

TITULUS II.

TITULUS III.


TITULUS IV.

TI-

TI-

Addit.

PARS



PARS PRIMA
DE
RITU SERVANDO
In Celebratione Missæ Privatæ.
TITULUS I.
De Præparatione Sacerdotis Celebraturi.

I.

S*Acerdos celebraturus Missam, prævia Confessione Sacramentali, quando opus est, & saltem Matutinô cum Laudibus* (non tamen obligatoriè, per se loquendo, & nisi nimis serò celebretur, Gobat *tract.* 5. *num.* 667. Suarez. Quart. Comment. in Rubr. *p.* 2. *tit.* 1. *sect.* 1. *dub.* 1. *& alii*) *absolutô, Orationi aliquantulùm vacet, & Orationes inferiùs positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi præparatum, ubi Paramenta, aliáque ad celebrationem necessaria habentur: accipit Missale, per-*

quirit Missam, perlegit, & ordinat signacula ad ea, quæ dicturus est. Posteà lavat manus, dicens Orationem inferiùs positam. Deinde præparat Calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul cum Patena itidem inauratâ, ab Episcopo consecratus) super ejus os ponit Purificatorium mundum, non tamen necessario benedicendum (Gav. *part. 2. tit. 1. litt. 1.*) *& super illud Patenam cum hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, à fragmentis, & eam tegit parvâ Pallâ lineâ, tum velô sericô*, parte ejus anteriori super Bursam revolutâ (Gav. cit. litt. N.) *super velo ponit Bursam* (cujus pars aperta Celebrantem respiciat, Gav. cit. litt. N.) *coloris paramentorum, intus habentem Corporale plicatum, quod ex lino tantùm esse debet, nec sericô, vel aurô in medio intextum, sed totum album, & ab Episcopo, vel alio habente facultatem simul cum Palla, benedictum.*

§. Ex his errores veniunt Celebranti admodùm cavendi. 1. Est error magnus & defectus, accedere ad SS. Missæ Sacrificium exiguâ, aut omnino nullâ præmissâ præparatione; &, quod pejus est, quando quis indutus jam sacrîs vestibûs, usque dum de Ministro provideatur, vel etiam, dum actualiter dictîs vestibûs se se induit,

tempus

tempus consumit inutilibus discursibus facetiis, &c. non recogitans verba S. Joan. Chrysost. *Ad Divina Christi mysteria negligenter accedens, supplicium intolerabile meretur.* Apud Anton. Nolin. Instruct. de Sacerd. *tr.* 4. *c.* 3. *§.* 3. 2. Error, & peccatum gravissimum est, habitâ Confessarii copiâ reatum peccati lethalis contractum non deponere, & tamen cum hoc ad sacra mysteria pertractanda inverecundè accedere, falsò & iniquè sibi abblandiendo, defectum confidentiæ, &c. evincere jus Divinum, & præceptum gravissimum Confessionis. Caveant igitur ejusmodi Celebrantes, ne mentiatur iniquitas sibi, & pro excusatione diffidentia, vel non confidentia irrationabiliter: cohabitatio petulanter; verecundia impudenter: sigillifragium Confessarii temerariè prætendatur. 3. Errant, qui non adhibent Bursam, vel qui nudum Corporale supra velum Calicis ponunt. Cantelm. *c.* 9. §. 1. *num.* 2. suppositô, quòd Bursa aperturâ non careat. La Croix tamen *Lib.* 6. *p.* 2. *n.* 330. putat, Bursam corporalis planè ommitti posse; eò quòd Rubrica quoad hanc solummodo sit directiva, & ad decentiam tantùm Bursa adhibeatur.

II. *Quibûs ita* (prout *num.* 1. dictum) *disposi-*

dispositis, accedit ad Paramenta, quæ non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, & decenter munda, ac pulchra, & ab Episcopo item, vel alio facultatem habente benedicta: ubi calceatus pedibus, & indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat (licèt in Peregrinis & Ruralibus tolerari possint vestes breviores, modò non nimis breves sint, Gav. cit. *num. 2. litt. Y.* Lohn.) *induit se, si sit Prælatus sæcularis, supra* Rochetum, *si sit Prælatus Regularis, vel alius Sacerdos sæcularis, supra superpelliceum, si commodè haberi possit, alioquin sine eo* (maximè, ubi praxis, & consuetudo legitimè viget, ut in Germania) *suprà vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes infrà positas*, ad quas tamen dicendas ad summum sub veniali tenetur: imò juxta Gav. hîc *litt. B.* Tambur. *l.* 1. *c.* 7. §. 1. Quart. Coment. in Rubr. *p.* 2. *t.* 1. *sect.* 4. *dub.* 8. & alios, per se loquendo, absque ullo peccato ommittuntur. Pro Vesperis tamen, & aliis functionibus non dicuntur. Quart. cit. Castald. &c. Sunt autem sequentes

Ora-

Orationes dicendæ,

Cùm Sacerdos induitur Sacerdotalibûs Paramentîs.

Cùm lavat manus, dicat:

DA, Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam; ut sine pollutione mentis & corporis valeam tibi servire.

Ad Amictum, dum ponitur super caput, dicat:

Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad Albam, cùm ea induitur.

Dealba me, Domine, & munda cor meum: ut in Sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum, dum se cingit.

Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiæ & castitatis.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro.

Merear, Domine, portare manipulum fletûs, & doloris: ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam, dum imponitur collo.

Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis: & quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Casulam, cùm assumitur.

Domine, qui dixisti, Jugum meum suave est, & onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quòd consequar tuam gratiam. Amen.

III. *Primùm igitur accipiens Amictum circa extremitates, & chordulas, osculatur illud in medio, ubi est Crux, & ponit super caput, & mox declinat ad collum, & eo vestium collaria circumtegens, ducit chordulas sub brachiis, & circumducens per dorsum ante pectus reducit, & ligat. Tum Albâ induitur, caput submittens, deinde manicam dexteram brachio dextero, & sinistram sinistro imponens, Albam ipsam corpori adaptat, elevat antè, & à lateribus, hinc inde,*

&

& cingulô per Ministrum à tergo sibi porrectô se cingit. Minister elevat Albam supra cingulum circum circa, ut honestè dependeat, & tegat vestes, ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti, vel circiter super terram aequaliter fluat. Sacerdos accipit Manipulum, osculatur crucem in medio, & imponit brachio sinistro: deinde ambabus manibus accipiens Stolam simili modo deosculatur, & imponit medium ejus collo, ac transversando eam ante pectus in modum Crucis ducit partem à sinistro humero pendentem ad dexteram, & partem à dextero humero pendentem ad sinistram, ita, ut dextera pars supra sinistram ponatur (Gav. *p.* 2. *t.* 1. Lohner *p.* 6. *t.* 1.) *sicque utramque partem Stolae extremitatibûs Cinguli, hinc inde, ipsi Cingulo conjungit. Postremò accipit Planetam.*

Ex his patet, omittendum esse signum Crucis, quod quidam erroneè, ut loquitur Cantelm. *c.* 10. §. *6. n.* 1. sibi faciunt manu dextera, & Amictu simul à fronte ad pectus. Quare, vel signent se manu tantùm, antequam Amictum accipiant; vel signum Crucis hoc loco omittant. Gav. Gerlac. Lohner, in hunc locum.

Quòd si Ecclesia Sacristiâ careat, notandum est, Paramenta non in Altari, in quo Missa facienda est, sed in mensa quadam separatâ collocanda esse. Si verò de-

ficiente mensa, & in casu necessitatis in Altari ponenda sint, nunquam in medio illius, sed in cornu Evangelii collocentur. Gav. cit. *n.* 2. Lohn. Gerlac.

§. Errant contra hactenùs dicta, & est magnus defectus celebrare Missam in Paramentis artritis, & indecentibus, vel Purificatoriis & Corporalibus immundis. Et quidem, si adhibeantur notabiliter immunda, peccatum mortale est. Ita Gav. *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 1. *litt.* Q. citans pro se Emman. Sà, & communem aliorum. Item, *num.* 2. *litt.* S. citans Silv. *V.* *Missa.* 1. *q.* 2. §. 3. Attendant igitur sibi Sacristæ in hoc puncto satìs nonnunquam negligentes, parúmque curantes amovere Purificatoria & Corporalia immunda, horúmque locò munda subministrare. 2. Errant, & peccant, qui sine omnibus dictis vestibus (extra casum, quo mors, aut aliud gravissimum damnum non cedens in contemptum Religionis immineret) celebrare præsumunt: imò Tambur. apud Lohner *part.* 6. *tit.* 1. *num.* 9. in nullo simpliciter casu sine omni veste sacra celebrari posse contendit. Porrò notat Lohner *p.* 1. *tit.* 3. §. 2. *n.* 1. de Vestib. Celebrant. Dicens: Alba, & Planeta sine peccato gravi omitti non possunt unquam, nisi in gravissimo

periculo

periculo vitæ propriæ, ant salutis alienæ amittendæ; sine una tamen, alteráve ex reliquis celebrari posse, vel ad vitandum murmur populi, vel infirmum communicandum, ob necessitatem audiendi Sacri die Festo, &c. probabiliter docent Tamburinus *l.* 1. *c.* 3. §. 1. *num.* 3. *q.* 5. & alii apud P. Gobat Alphab. Sacrif. *num.* 351. *& seq.* Cæterùm contra quosdam, ratione parvitatis materiæ poterit hîc contingere peccatum veniale, si quis omittat unam tantùm vestem voluntariè & absque justa causa: Quart. *p.* 2. *tit.* 1. *sect.* 4. *dub.* 5. *℣. Secunda sententia.* Citans plures DD. Hinc inferunt, omissionem solius Cinguli fore peccatum veniale. Addunt aliqui, etiam omissionem solius Manipuli fore peccatum veniale ob materiæ levitatem; secùs, si utraque vestis simul omitteretur. Vide Dian. & alios apud Quart. citt. Quia verò dubitari, vel quæri hîc potest, qualenam Cingulum Sacerdotis esse debeat, sequentia S.R.C. Decreta advertenda sunt. *Primum* est: *Sacerdotes in Missæ Sacrificio congruentiùs utuntur Cingulô lineô, quàm sericô.* 22. Jan. 1701. *Secundum* est: *Cingulum, tertium indumentum Sacerdotale, potest esse coloris Paramentorum.* 8. Junii 1709. Ex quibus Decretis desumitur, solam substantiam Cin-

ficiente mensa, & in casu necessitatis in Altari ponenda sint, nunquam in medio illius, sed in cornu Evangelii collocentur. Gav. cit. *n.* 2. Lohn. Gerlac.

§. Errant contra hactenùs dicta, & est magnus defectus celebrare Missam in Paramentis artritis, & indecentibus, vel Purificatoriis & Corporalibus immundis. Et quidem, si adhibeantur notabiliter immunda, peccatum mortale est. Ita Gav. *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 1. *litt.* Q. citans pro se Emman. Sà, & commnunem aliorum. Item, *num.* 2. *litt.* S. citans Silv. ℣. *Missa.* 1. *q.* 2. §. 3. Attendant igitur sibi Sacristæ in hoc puncto satìs nonnunquam negligentes, parúmque curantes amovere Purificatoria & Corporalia immunda, horúmque locò munda subministrare. 2. Errant, & peccant, qui sine omnibus dictis vestibus (extra casum, quo mors, aut aliud gravissimum damnum non cedens in contemptum Religionis immineret) celebrare præsumunt: imò Tambur. apud Lohner *part.* 6. *tit.* 1. *num.* 9. in nullo simpliciter casu sine omni veste sacra celebrari posse contendit. Porrò notat Lohner *p.* 1. *tit.* 3. §. 2. *n.* 1. de Vestib. Celebrant. Dicens: Alba, & Planeta sine peccato gravi omitti non possunt unquam, nisi in gravissimo

periculo

periculo vitæ propriæ, ant salutis alienæ amittendæ; sine una tamen, alteráve ex reliquis celebrari posse, vel ad vitandum murmur populi, vel infirmum communicandum, ob necessitatem audiendi Sacri die Festo, &c. probabiliter docent Tamburinus *l.* 1. *c.* 3. *§.* 1. *num.* 3. *q.* 5. & alii apud P. Gobat Alphab. Sacrif. *num.* 351. *& seq.* Cæterùm contra quosdam, ratione parvitatis materiæ poterit hîc contingere peccatum veniale, si quis omittat unam tantùm vestem voluntariè & absque justa causa: Quart. *p.* 2. *tit.* 1. *sect.* 4. *dub.* 5. *℣. Secunda sententia.* Citans plures DD. Hinc inferunt, omissionem solius Cinguli fore peccatum veniale. Addunt aliqui, etiam omissionem solius Manipuli fore peccatum veniale ob materiæ levitatem; secùs, si utraque vestis simul omitteretur. Vide Dian. & alios apud Quart. citt. Quia verò dubitari, vel quæri hìc potest, qualenam Cingulum Sacerdotis esse debeat, sequentia S. R. C. Decreta advertenda sunt. *Primum* est: *Sacerdotes in Missa Sacrificio congruentiùs utuntur Cingulô lineô, quàm sericô.* 22. Jan. 1701. *Secundum* est: *Cingulum, tertium indumentum Sacerdotale, potest esse coloris Paramentorum.* 8. Junii 1709. Ex quibus Decretis desumitur, solam substantiam Cin-

guli cadere sub præcepto, non autem, quale determinatè esse debeat; unde potest adhiberi sericum, licèt congruentiùs lineum: item, potest adhiberi Cingulum, quod non est coloris Paramentorum, & multò magìs, quod coloris Paramentorum est.

TITULUS II.

De Ingressu Sacerdotis ad Altare.

I.

S*Acerdos omnibûs Paramentîs indutus, accipit manu sinistra Calicem, ut suprà, præparatum, quem portat elevatum ante pectus, Bursam manu dextera super Calice tenens, & factâ* capite cooperto profundâ (juxta Lohn. Gav. Gerl. Cantelm.) *reverentiâ Cruci, vel Imagini illi, quæ in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare, Ministro cum Missali, & aliis ad celebrandum necessariis (nisi antè fuerint præparata) præcedente, superpelliceum indutô, procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore.* Quod valde notandum: non enim Religiosorum solummodò proprium credendum est, taliter, e.g. oculîs

oculîs demiſsîs ad Altare accedere; nam Rubrica hæc Univerſalis & Sacerdotalis, non Particularis aut Regularis eſt. *Si verò contigerit Sacerdotem tranſire ante Altare majus, capite cooperto, faciat ad illud reverentiam: ſi ante locum Sacramenti, genuflectat* cooperto adhuc capite, Gav. *q. 2. t. 2. n. 1. litt. D.* Quart in hunc loc. *Si ante Altare, ubi celebratur Miſſa, in qua elevatur, vel tunc miniſtratur Sacramentum, ſimiliter genuflectat, & detecto capite illud adoret, nec antè ſurgat, quàm Celebrans depoſuerit Calicem ſuper Corporale.* Ubi notanda ſunt verba Gavanti, ſcilicet: Hoc loco, *ſimiliter*, ſignificat quidem genuflexionem unico genu; ſed in elevatione Hoſtiæ uſque ad Calicis depoſitionem duobus genibus fit adoratio.

Idem Gavant. ad verba: *Miniſtratur Sacramentum.* addit: Eodem modo (unico genu) genuflexio fiat, ſi expoſitum ſit in Altari SS Sacramentum; vel ſi advertat, in Altaribus minoribus adhuc adeſſe poſt conſecrationem Sacramentum.

Pariter, ſi per Eccleſiam fiat ei obviàm deferens SS. Sacramentum, genuflectendum eſt, donec tranſeat, & quidem utroque genu; quando immorandum, ſeu ſubſiſtendum eſt; unico verò, ſi in tranſitu,

situ, & absque mora genuflectendum. Quart. *p. 2. tit. 2. num. 1.*

Si verò transeat ante Altare, in quo solemniter exposita est insignis Reliquia Sancti, de quo fit Festum ibidem, convenit, ut apertum caput inclinet illi profundè; in aliis Reliquiarum expositarum casibus habetur ratio Altaris tantùm, puta, si SS. Sacramentum ibi reperiatur; alioqui enim nulla ante alia Altaria reverentia facienda est, cùm Rubricæ solius summi Altaris meminerint. Gav. *p. 2. tit. 2. n. 1. litt. E.* Bauldr. Gerlac. Lohn. *p. 2. t. 4.*

Tandem, si coram alio Sacerdote ad Sacristiam redeunte transeat, nullam ei faciat reverentiam, nec caput aperiat. Si ante Magnatem, vel Principem, solùm capite aliquantulùm inclinato iisdem reverentiam faciendam esse, Bauldr. *num.* 3. ex Gav. tradit: sed rectiùs, juxta R. P. Lohner cit. *num.* 4. se locorum consuetudini quoad hoc, & alia similia puncta accommodat. Et quidem in nostris partibus consuetudo exigit, ut Episcopis, & Serenissimis Personis in transitu fiat reverentia aperto capite, & media genuflexione.

Quid autem observandum Sacerdoti circa capitis detectionem & reverentiam faciendam, si in accessu ad Altare non ipsemet

ipſemet defert Calicem, utpote ſi hic jam priùs ab aliquo alio illuc delatus fuit? ℟. in ſimili caſu ipſum debere procedere junctîs ad pectus manibûs, atque ante exitum imagini Crucifixi, quæ in Sacriſtia habetur, exhibere reverentiam capite detecto. Quod idem faciendum apud Altare, quando tranſiens ante illud genuflectit, vel conformiter dictis, profundè ſe inclinat. Ratio eſt: quia in ſimili caſu, dum non defert ipſemet Calicem, manus non habet occupatas, utì rectè notat Merati *p.* 2. *tit.* 2. *ad num.* 1. Bauldr. *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 1.

Cæterùm, cùm impræſentiarum de reverentia, ſeu inclinatione mentio facta ſit, ſciendum, Inclinationes ab Authoribus peritioribus ad tres reduci claſſes, quæ dicuntur: *Profunda*, *Mediocris*, & *ſimplex*; ſive (ut quidam recentior vocat) *Corporis*, *Humerorum* & *Capitis*. Inclinatio *profunda*, ſive corporis fit inclinando caput & humeros profundè in tantum, ut quis (prout modernus quidam Author obſervat) poſſit manibûs extenſîs genua tangere. *Mediocris*, ſive humerorum eſt, quando inclinantur humeri, & caput mediocriter tantùm: hoc eſt, medietate minùs, quàm fit inclinatione profunda. *Simplex*, fit ſola capitis inclinatione: quam

cære-

cæremoniam, ut nonnulli decentiùs faciant, inclinant tantisper etiam humeros. Cæremonial. Cardin. Cantelmi *c.* 1. §. 1. quæ proin per totum Missæ Sacrificium omnino notanda, & applicanda sunt.

II. *Cùm pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, birretum Ministro porrigit, & Altari, seu Imagini Crucifixi desuper posita profundè inclinat. Si autem in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam.* In hoc tamen casu Imagini Crucifixi (quæ juxta novum Decret. S. R. C. 14. *May*, 1707. etiam coram SS. Sacramento exposito, in Altari collocari debet) præter genuflexionem, nullam aliam cum capitis, &c. inclinatione reverentiam facit. Gerlac. *p.* 2. *tit.* 3. §. 3. *Tunc ascendit ad medium Altaris: ibi ad cornu Evangelii sistit Calicem, extrahit Corporale de Bursa, quod extendit in medio Altaris, & super illud Calicem velô,* ob mysterium in anteriore parte (juxta Gav. Gerlac. Lohn. Quart.) plenè *coopertum collocat, Bursam autem ad cornu Evangelii. Si in Altari Paramenta accepit, hoc idem facit, antequã descendat ab Altari, ut Missam inchoët.*

§. Contra hanc Rubricam est Error, I. facere inclinationem simplicem, mediocrem, vel profundam, immediatè antè vel postquàm facta fuit genuflexio ad Altare, ubi asser-

asservatur SS. Sacramentum intra Custodiam, & hoc tam quoad primum ingressum, quàm quoad principium Missæ. Cantcl. *c.* 10. §. 6. *n.* 3. 2. Corporale non statim, ac ad Altare ventum est, explicare, sed hoc differre ad Oblationem. Rubr. Bauldr. hîc *num.* 3. 3. Bursam Corporalis collocare post Calicem in medio Altaris, aut in cornu Epistolæ. Rubr. Gerlac. *p.* 2. *tit.* 2. §. 22. 4. Errant etiam, qui in Missis, etiam coram Venerabili exposito, non adhibent Imaginem Crucifixi. Decret. S. R. C. cit. Vid. de Cruce in Altari collocanda *Tractat. de Defect. Miss. num.* 209.

III. *Si est consecraturus plures Hostias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem super Patena manere non possint, locat eas super Corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice consecrato, vel vase mundo* (seu Pyxide, Gav.) *benedicto* (decet enim Pyxidem benedici saltem, ut Corporale, & benedici ab eo potest, à quo & Corporale, ait Gavant. cit. *num.* 3. *litt. P.*) *ponit eas retrò post Calicem, & aliâ Patenâ, seu Pallâ cooperit*, nisi Pyxis proprium aliàs habeat operculum.

IV. *Collocato Calice in Altari*, & factâ Cruci debitâ reverentiâ (Gav. cit. *n.* 4. & alii) *accedit ad cornu Epistolæ, Missale super Cussino aperit* (quod ob mysterium in Missis

ſis privatis, ad Sacerdotem, utpote Agnum aperientem librum *Apoc.* 5. repræſentantem, non autem ad Miniſtrum ſpectat, Gav. Gerlac. cit. §. 20. Quart) *reperit Miſſam, & ſignacula ſuis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primùm Cruci reverentiâ, vertens ſe ad cornu Epiſtolæ* (quod ſemper facit, quoties ſe vertit, Lohner *p. 6. t. 2. n. 3. litt. P.*) *deſcendit poſt infimum gradum Altaris, ut ibi faciat Confeſſionem.* Deſcendens autem aliquantulùm ad latus Evangelii ſe retrahat, ne directè deſcendendo Cruci, vel Tabernaculo terga vertat. Bauldr. Gerlac. cit. §. 24.

Siſtit autem ſe Sacerdos poſt infimum gradum Altaris, ut Rubrica præſcribit, non ſupra gradum, ſed in plano Capellæ in ſignum humilitatis, quia facturus eſt confeſſionem. Quòd ſi ſint plures ordines graduum, ſatìs erit deſcendere poſt infimum gradum primi ordinis. Caſtald. *l. 2. ſect. 8. c. 1. n. 12.* Quart. *p. 2. t. 2. n. 4.* ℣. *Tertiò.* Si verò nullus ſit gradus, aliqua diſtantia inter Altare, & Celebrantem fiat. Bauldr. hîc *num.* 3.

Unum advertendum hîc eſt, quòd, etſi Bauldr. *p. 3. c. 5. num.* 6. ſcribat, ut Celebrans ſive privatim, ſive ſolemniter celebret, accedens ad medium Altaris, vel rece-

recedens à medio ſemper faciat profundam Cruci reverentiam, etiamſi ſpecialiter non annotetur in Rubricis; attamen pro conformitate bene ſervatur pius multorum uſus (ut loquitur Cantelm. *c.* 1. *§.* 5.) qui faciunt ſimplicem inclinationem Cruci toties, quoties accedunt ad medium Altaris, ut ad dicendum *Kyrie eleiſon*, &c. vel quando inde diſcedunt, e. g. dicto *Suſcipe ſancte Pater*, &c. ad infundendum vinum in Calicem, &c. niſi expreſsè aliter in Rubrica habeatur. Conſentit Gerlac. *p.* 2. [illegible] *§.* 18. dicens: Inclinatio ſolius capitis fit, quoties in Rubricis exprimitur caput eſſe inclinandum, quam Celebrans facit versùs Crucem, quotieſcunque à medio diſcedit Altaris, & eò accedit, &c.

Notandum etiam eſt Sacerdotibus, qui ante deſcenſum ad inchoandam Miſſam, intentionem faciunt, vel renovant nonnihil ſubſiſtentes, quòd hoc non videatur eſſe contra Rubricas; dummodo deſcenſuri aliam iterum Cruci reverentiam faciant, Lohner *p.* 6. *t.* 2. *num.* 3. *litt. O.* & dum̃odo in facienda, vel renovanda hac intentione non nimiùm ſe detineant.

TITULUS III.

De Principio Missæ, & Confessione facienda.

I.

S*Acerdos cùm primùm descenderit sub infimum gradum Altaris* (ut Tit. præc. *num.* 4. ℣. *Sistit autem.* dictum est) *convertit se ad ipsum Altare, ubi stans in medio, junctîs manibûs ante pectus, extensis & junctis pariter digitis, & pollice dextro super sinistrum positô in modum Crucis* (*quod semper servatur, quando junguntur manus, præterquàm post consecrationem*) *detecto capite, factâ priùs Cruci, vel Altari profundâ reverentiâ, vel, si in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, facta genuflexione* (ut suprà *tit.* 2. *num.* 2. & ℣. *Contra hanc.* eod. habetur) *erectus incipit Missam.*

II. *Stans igitur Celebrans ante infimum gradum Altaris, ut suprà, producens manu dextera à fronte ad pectus signum Crucis* (eô modô, quô *num. seq.* notatur) *dicit intelligibili voce:*

In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen.

Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcunque in alio Altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuatè prosequi Missam

suam

suam usque ad finem. Ritus autem signandi aliquid signô Crucis est sequens.

III. *Cùm Sacerdos se ipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus,* ita, ut sit extra terminos Crucis à dextra impressæ, sed tamen supra Cingulum. Gav. hoc loco, *litt. P. In aliis Benedictionibus, cùm est ad Altare, & benedicit Oblata, vel aliquid, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur. Se ipsum benedicens, vertit ad se palmam manûs dextræ, & omnibus illius digitis junctis, & extensis, à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum, signum Crucis format. Si verò alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit, ac benedicendô totam manum dextram extendit omnibus illius digitis pariter junctis, & extensis: quod in omni benedictione observatur.*

IV. *Postquam dixerit,* In nomine Patris, &c. *ut suprà, jungens iterum manus ante pectus pronuntiat clara voce,* Antiph.

Introibo ad Altare Dei.

Minister retrò post eum ad sinistram genuflexus prosequitur:

Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Deinde eodem modo stans incipit, & prosequitur cum Ministro, vel Ministris, alternatim Psalmum.

Sac. Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo & doloso erue me.

Minist. ℟. Quia tu es Deus, &c.

S. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

R. Et introibo, &c.

S. Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

R. Spera in Deo, &c.

S. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Cùm dicit: Gloria Patri, &c. *caput Cruci inclinat.*

R. Sicut erat in Principio, &c.

Quo finito, repetit Antiphonam.

S. Intribo ad Altare Dei.

R. Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Hic *Psalmus*, Judica me Deus, &c. *nunquam prætermittitur, nisi in Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore, à Dominica Passionis*

sionis inclusivè, usque ad Sabbatum Sanctum exclusivè: in quibus semel tantùm dictâ Antiphonâ, Introibo &c. *cum Ministris ut suprà, statim subjungit.* ℣. Adjutorium nostrum &c. In Missis tamen Votivis de Passione, vel de Cruce, quæ dicuntur infra Hebdom. Passionis, non est omittendus; nec *Gloria Patri, &c.* ad Intoit. & Lavabo. S. R. C. 10. *Febr.* 1647.

Sunt autem singula verba, quæ ad sacrum Missæ Officium pertinent, ab unoquoque Sacerdote cum omni attentione, distinctione, gravitate, animíque sedatione pronuntianda; ita, ut non nimiùm præceps sit, atque festinus, nec tamen æquô tardior, aut prolixior; majorem quippe ædificationis publicæ, quàm sui affectûs rationem semper habere debet. Quod ut honestè fiat, semi-horæ spatium Missis privatis & necessarium esse, & sufficere, arbitratur Gerlac. *p.* 2. *t.* 3. *§.* 11. Gav. *p.* 3. *t.* 11. *n.* 13. Scortia *lib.* 2. *c.* 19. Quart. *p.* 1. *t.* 16. *dub.* 6. ℣. *Ad tertium.* vocans mediam horam, vel paulò ultrà, pro Missa *spatium conveniens & justum.* Quod tamen non ita intelligendum videtur, quasi necessariò totum istud spatium sola Celebratione insumendum sit, præsertim, ubi ipsius Missæ celebrandæ brevitas, vel Celebrantium

devota dexteritas occurrit. Quare optima est Praxis, si accedendo ad Altare, celebrando, & ab Altari ad Sacristiam redeundo, dimidiæ horæ spatium, vel paulò ultrà, insumatur; sic enim fiet Sacrificium Deo acceptabile; audientibus autem in ædificationem, non in scandalum, quale non raro illorum est, qui gloriantes in dexteritate sua, & aliis placere volentes, unius vix non quadrantis spatiô Missam deblaperant, & neglectîs Ecclesiæ sanctæ Rubricîs sine devotione, attentione, & fervore negligenter, tepidè, & perfunctoriè solummodò sacrificantes, non Sacerdotes Domini, & Christi Personam, sed mimos magis, & histriones (prout loquitur S. Aug. *serm.* 251. *de Temp.*) agere videntur. Quart. cit. *part.* 1. *tit.* 16.

Est igitur insignis defectus, dicere Missam nimis festinanter, syncopando verba, & transportando Cæremonias, nunc ante, nunc post tempus in Rubrica præscriptum, cum exigua devotione, & mala ædificatione populi, qui assistit; ut bene de his dici possit: *Non timent Dominum, neque custodiunt Cæremonias ejus.* 4. *Reg.* 17. Cantelm. *c.* 10. *§.* 3. Ex quo sequitur, pessimè facere illos, qui in Missa nunquam otiosi (ut ajunt) euntes, redeuntes, & quodcunque facientes

tes semper orant, & semper contra ordinem, ac præscriptum Rubricæ faciunt.

Cæterùm, occasione præfatæ Rubricæ notandum, & maximè observandum est, in Missa quædam *Voce clara* (ità, ut à circumstantibus audiri, & intelligi possint, Bauldr. *p. 3. c. 2. n. 2.*) alia *mediocri* (ità, ut à Ministris, & aliquibus tantùm, seu proximis circumstantibus possint percipi, Idem) & alia *submissa* voce, sive secretò dicenda esse. Voce *clara, convenienti, & intelligibili*, dicuntur *Primò:* Totum principium Missæ, *In nomine Patris, &c. Introibo ad Altare Dei, &c.* usque ad *Aufer à nobis, &c.* exclusivè. 2. Ab Introitu inclusivè, omnia usque ad *Munda cor meum &c.* exclusivè. 3. A *Dominus vobiscum*, ante Evangelium inclusivè, omnia usque ad Offertorium inclusivè, exceptô, *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta*, quod dicitur secretò. 4. Præfatio usque ad *Sanctus*, exclusivè. 5. Post Consecrationem ante *Pater noster*, verba: *Per omnia sæcula sæculorum*, cum toto *Pater noster.* 6. Post fractionem Hostiæ, *Per omnia sæcula sæculorum*, & *Pax Domini sit semper vobiscum*, cum toto *Agnus Dei, qui tollis, &c.* 7. Post Sumptionem: Communio, Orationes, seu Postcommuniones: & sequentia (exceptô, *Placeat tibi sancta Tri-*

nitas, *&c.* quod secretò dicitur) omnia usque ad ultimum Evangelium inclusivè. Rubr. *p.* 1. *tit.* 16. *num.* 1. Bauldr. cit. *num.* 3. Cantelm. *c.* 9. §. 3. Lohner *p.* 2. *t.* 32. *§.* 4. &c.

Voce *mediocri*, seu *mediâ*, dicuntur, 1. Duo verba: *Orate Fratres.* 2. *Sanctus*, *&c.* post Præfationem usque ad, *Te igitur Clementissime*, *&c.* exclusivè. 3. Tria verba: *Nobis quoque peccatoribus.* 4. Quatuor verba: *Domine*, *non sum dignus.* Bauldr. Cantelm. Lohner. citt. &c.

Voce *submissa*, sive *secretò*, dicuntur omnia, quæ vel altâ: vel media voce non dicuntur. Citt. Et in hoc notabiliter errant non pauci (prout inquit Cantelm. cit.) qui se faciunt audiri à circumstantibus, dicentes alta voce, vel mediocri, etiam verba Canonis & Consecrationis. Item, notabiliter deficiunt illi, qui ea, quæ deberent dicere voce alta, dicunt voce ita submissa, ut non percipiantur, cum admiratione ac tædio circumstantium, &c. Idem. Quare omnino notanda sunt verba Rubricæ cit. *num.* 2. dicentis: *Sacerdos maximè curare debet, ut ea, quæ clara voce dicenda sunt, distinctè, & appositè proferat, non admodùm festinanter, ut advertere possit, quæ legit: nec nimis morosè, ne audientes tædiô afficiat: neque etiam voce nimis elatâ, ne perturbet alios, qui fortasse*

in

in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant: neque tam submissâ, ut à circumstantibus audiri non possit; sed mediocri, & gravi, quæ & devotionem moveat, & audientibus ita sit accommodata, ut, quæ leguntur, intelligant. Quæ verò secretò dicenda sunt, ita pronuntiet; ut ipsemet se audiat, & à circumstantibus non audiatur.

V. *Repetitâ Antiphonâ,* Introibo, &c. *dextera manu producens signum Crucis à fronte ad pectus, dicit:*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

Deinde Altari se profundè inclinans, junctîs manibûs, dicit & prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec à Ministro, vel Ministris dictum sit Misereatur, &c.

Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, &c.

Minister respondet:

Misereatur tui omnipotens Deus, &c.

Sacerdos dicit:

Amen.

Et cùm incipitur à Ministris, Confiteor, &c. *se erigit.* Ubi notandum est, quòd, *cùm*

dicit, mea culpa, *ter pectus dextra manu*, id est, digitîs omnibûs dextræ manûs in unum acumen contractîs, & parùm reflexîs, non autem pugnô manûs (Lohner *p. 6. t. 3. n. 5. litt. N.* Bauldr.) *percutiat*, *sinistrâ infra pectus positâ.* Rubr. Item: Celebrans se in Missa privata non vertit ad Ministrum, vel Ministros, dicens: *vobis fratres*, *& vos fratres*, vel *Misereatur vestri*, *&c.* & hæc verba dicit eodem modo, etiamsi unicum tantùm Ministrum habeat. Gerlac. cit. *§.* 13. Lohner cit. *litt. O.* item *p. 2. tit. 7. n. 4.* Cantelm. *c.* 10. *§.* 7. Item: in *Confiteor*, non est addendum nomen Patroni, aut alterius Sancti sine Papæ licentia: quia id Pius V. prohibuit teste Bauldr. *p. 3. t. 3.* nisi consuetudo Diœcesis, aut Ordinis id exigat, Lohner *p. 2. tit. 7. n. 4.*

VI. *Factâ à circumstantibus confessione: Celebrans stans* junctîs manibûs erectus, *respondet*:

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam.

℟. Amen.

Dicit autem *vestri*, & *vestris*, etiam uno tantùm præsente. Gav. *p. 2. t. 10. num. 6. litt. F.* Arnaud. prout etiam *num. præc.* dictum.

ctum. *Deinde producens manu dextra à fronte ad pectus signum Crucis*, ut suprà *num.* 3. *dicit:*

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus.

℟. Amen.

Et stans inclinatus mediocriter (Cantelm. Lohn. *p* 6. *t.* 3. *n.* 8. Gerlac. *p.* 2. *tit.* 3. *ʃ.* 18.) *junctis manibus prosequitur clara voce* alternatim cum Ministro:

S. Deus tu conversus vivificabis nos.

R. Et plebs tua lætabitur in te.

S. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

R. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine exaudi Orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

S. Oremus.

Hoc

Hoc verbum *Oremus*, dicit clara voce, & adhuc inclinatus, ut suprà (Bauldr. Gerlac. Lohn. &c.) attamen, *cùm hoc dicit, extendit, & jungit manus*; sed eas non demittit, iterúmque in altum elevat, quod est expressè contra hanc Rubricam, ut quæ tantùm extendi, iterúmque jungi vult manus. Lohner *p.* 6. *t.* 3. *n.* 8. *litt. T.*

§. Contra hanc Rubricam errant: 1. qui ad finem, *Confiteor* Ministri respondent, *Amen.* 2. Qui non faciunt differentiam inter profundam inclinationem ad *Confiteor*, &c. & inter inclinationem mediocrem ad, *Deus tu conversus*, *&c* aut simplicem ad, *Gloria Patri*, *&c.* Cantelm. *c.* 10. §. 6. *num.* 4. *& seq.* 3. Qui præsente uno tantùm Ministro in *Confiteor*, & *Misereatur* dicunt, *Tibi frater*, *te frater*, *&c.* locò *Vobis fratres*, *&c.* utentes singularî pro plurali contra id, quod dictum est hoc, & *præc. num.* Item, qui ad ejusmodi verba se convertunt ad Ministrum. *num. præc.* 4. Qui ad *Oremus*, non integras manus, sed superiorem earundem solummodò partem, hoc est, octo digitos tantùm, disjungunt.

Rubr. Quod etiam in sequentibus toties, quoties manus disjungendæ sunt, notandum est.

TITU-

TITULUS IV.

De Introitu, Kyrie eleison, & Gloria in excelsis.

I.

D*Um dicit*, Aufer à nobis, quæsumus Domine, &c. *Celebrans junctis manibus ascendit ad medium Altaris, & ibi inclinatus* (humerorum intellige inclinationem, quæ semper intelligitur, quando vox *profundè* non additur, Lohner *p. 6. t. 3. n. 8. litt. S.*) *manibúsque item junctis super eo positis, & ita, ut digiti parvi duntaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu Mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare, & se retento, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis posito (quæ omnia semper observantur, cùm manus junctæ super Altare ponuntur) secretò dicit:*

Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum,

& cùm dicit:

Quorum Reliquiæ hîc sunt,

osculatur Altare in medio, manibûs extensis æqualiter hinc inde super eo positîs: quod semper servatur, quando osculatur Altare: sed post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur.

Pro

Pro hujus Rubricæ Parenthesi, *Quæ omnia semper observantur, &c.* penitiùs intelligenda, notanda sunt verba Bauldr. *p.* 3. *c.* 6. ubi *num.* 2 sic scribit: *Celebrans junctas tenet manus super Altare ante, & post consecrationem uno & eodem modo. Ita autem junctas tenet, ut parvi digiti tantùm frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu mensæ tangant, residuo manuum inter Altare, & se retento, pollice dextro in modum Crucis super sinistrum posito, nisi post consecrationem, quia tunc pollices ab indicibus non disjungere debet, ex* Rubr. Missal. *t.* 4. Hæc ille; Lohner *p.* 6. *tit.* 4. *n.* 1. Gav. *p.* 2. *t.* 9. *n.* 1. *litt. A.* Gerlac. *p.* 2. *t.* 9. *§.* 2. Quart. *p.* 2. *t.* 9. *n.* 2. ℣. *Tertiò.* Quare

§. Errant multi, qui post Consecrationem manus junctas integras collocant super Corporale, contra prædictam Rubricam. Bauldr. Lohn. citt. Cantelm. *c.* 10. *§.* 20. *n.* 1. 2. Qui dictô *Oremus* ante, *Aufer à nobis*, se erigunt quidem, sed antequam ad Altare ascendant, aliam ibidem Cruci inclinationem, &c. faciunt. 3. Est etiam error, dicere Orationem secretam, *Oramus te Domine, &c.* antequam manus superimponantur Altari; vel non ponere eas priùs, nec posteà. Cantelm. *c.* 10. *§.* 8.

Porrò, quoniam in Rubrica etiam dicatur: *Osculatur Altare in medio, manibus extensis,*

tensis, *&c.* pro tollendo omni dubio, notentur verba Card. Cantelm. *c.* 2. *§.* 3. quæ sic sonant: *Extenduntur manus supra Altare, quoties Sacerdos osculatur Altare, vel facit genuflexionem; & si sit ante, vel post consecrationem, observetur illud, de quo fuit dictum c.* 1. *§.* 6. scilicet: *Manus ante consecrationem Sacerdos teneat extra Corporale, quantùm commodè fieri potest, & post Consecrationem juxta Rubricam teneat supra Corporale.* Ita ille; cui consentit Gerlac. *p.* 2. *t.* 2. *§.* 18.

Cæterùm, quoad osculum servanda sunt verba Rubricæ: *In omni deosculatione sive Altaris, sive libri, sive alterius rei, non producitur signum Crucis pollice, vel manu super id, quod osculandum est.* Item, verba Gav. hoc loco, & Gerlac, *p.* 2. *t.* 4. *§.* 3. scilicet: *Caveat Celebrans, ne, dum osculatur Altare, à latere illud osculetur, sed in medio, ubi sunt reliquiæ Sanctorum: ubi verò non sunt Reliquiæ Sanctorum (ex dispensatione Apostolica) omitti debent verba,* Quorum Reliquiæ hîc sunt, *eóque casu osculum Altaris fieri debet ad ea verba:* indulgere digneris. Item, vitandus est error quorundam, qui se inclinant quidem quasi Altare osculaturi; attamen ipsum Altaris osculum omnino intermittunt.

II. *Osculato Altari*, verbísque, *& omnium Sanctorum: ut indulgere, &c.* absolutîs, *accedit*

dit absque facta Cruci, post Altaris osculum, inclinatione (Gerlac. cit. §. 5.) *ad cornu ejus sinistrum, id est, Epistolæ: ubi stans versus Altare, & producens à fronte ad pectus signum Crucis* (absque eo, ut proferat: *In nomine Patris, &c.* Gerlac. *cit.* §. 6.) *incipit intelligibili voce Introitum Missæ, & prosequitur junctis manibus.*

Introitus.

Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis: cujus imperium super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, magni consilii Angelus. *Psalmus.* Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

Cùm dicit:

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

tenens junctas manus, caput (non personam, seu corpus; quod & in sequentibus nota, Gav. in hunc loc. Gerlac. Bauldr. &c.) *inclinat versùs Crucem*, absque eo, ut subinclinatione etiam oculos elevet. Tunc erectus, ùt suprà pergit: *Sicut erat in principio, &c.* Hoc dicto, repetit ab initio Introitum, usque ad Psalmum exclusivè. *Sed cùm repetit Introitum, non signat se, ut priùs, & eo repetito,*

to, junctis manibûs ante pectus accedit ad medium Altaris, ubi factâ Altari, seu Cruci priùs reverentiâ (Gerlac. cit. ſ. 8. & suprà *tit. 2. n. 4.* ℣. Unum advertendum.) *stans versùs illud similiter manibûs junctis, dicit eâdem*, hoc est, intelligibili *voce ter* Kyrie eleison, *ter* Christe eleison, *& iterum ter* Kyrie eleison, *alternatim cum Ministro*, ut sequitur,

S. Kyrie eleïson.
M. Kyrie eleison.
S. Kyrie eleïson.
M. Christe eleison.
S. Christe eleison.
M. Christe eleison.
S. Kyrie eleïson.
M. Kyrie eleïson.
S. Kyrie eleison.

Si Minister, vel qui intersunt, Celebranti non respondent, ipse solus novies dicit.

ſ. Contra hanc Rubricam errant: 1. Qui osculato Altari immediatè, antequam ad librum pervenerint, Introïtum incipiunt. 2. Qui incipiunt *Kyrie eleison*, dum dicto Introitu, actualiter accedunt ad medium Altaris. Rubr. 3. Qui Introitum, & *Kyrie eleison*, dicunt in medio Altaris, Bauldr. cit. *tit.* 4. *Not. n.* 3. Cantelm. cit. §. 8. *n.* 2.

 4. Qui,

4. Qui, dum in Introitu dicunt, *Gloria Patri, &c.* manus extendunt, & jungunt; cùm tamen juxta Rubricam junctas tenere debeant. Gerl. *p. 2. t. 4. §. 7.* 5. Qui, antequam, Introitum inchoaturi, se signant, ipsum Introitûs initium signô Crucis pollice formatô signant.

III. *Dictô ultimô* Kyrie eleison, *Sacerdos stans in medio Altaris, & manus extendens, elevánsque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur) voce prædicta incipit, si dicendum sit:*

Gloria in excelsis Deo.

Hoc notato, quòd, *cùm dicit*, Deo, *jungens manus caput Cruci inclinat*, non tamen oculos elevat, Gerlac. cit. *tit. 4. §. 9. quo erecto, stans junctîs manibûs ante pectus, prosequitur usque ad finem:*

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine DEUS Rex cœlestis, DEUS Pater omnipotens. Domine Fili unigenite JESU Christe. Domine DEUS, Agnus DEI, Filius

Patris,

Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, JESU Christe, cum sancto Spiritu, in gloria DEI Patris, Amen.

Cùm in hoc Hymno *Et in terra*, &c. *dicit*: Adoramus te, Gratias agimus tibi, *&* JESU Christe: suscipe deprecationem nostram, *& iterum* JESU Christe, *caput Cruci inclinat. Cùm dicit in fine*: Cum sancto Spiritu, sinistrâ infra pectus positâ (Gavant.) *se ipsum à fronte ad pectus signat, interim absolvens*, In gloria Dei Patris, Amen. Volunt quidem Gav. Gerlac. Quarti &c. ut ad verbum *Amen*, manus jungantur; quia tamen de hac junctione manuum Rubrica nihil dicit, hinc ea ab aliis sine scrupulo omittitur. Imò hanc conjunctionem omittendam esse, docent Tonell. *lib. 2. tit. 4. in Notis ad Rubr.* 3. Bonamic. Polac. & Monc, quos refert & sequitur à Portu; tum, quia conjunctio illa non requiritur ad signum Crucis complendum; tum, quia esset actus superfluus præter Rubricam.

Est tamen error, ad *Gloria in excelsis*, manus vel non extendere, vel non elevare: aut ad verbum *Deo* manus non jungere, vel Caput Cruci non inclinare. Rubr.

TITULUS V.

De Oratione.

I.

D*Ictô Hymnô*, Gloria in excelsis, *vel, si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans osculatur Altare in medio, manibûs hinc inde super eo, ut suprà (tit. 4. n. 1. ℣. Et quoniam.) extensîs; tum illîs ante pectus junctis, & demissîs ad terram oculîs* (quod hîc, & per totum Missæ Sacrificium toties, quoties juxta Rubricas ad populum se convertere debet, maximoperè notandum, & ædificandi, non scandalizandi populi causâ advertendum est: Vide suprà *t. 2. n. 1.*) *vertit se à sinistro latere ad dexterum versùs populũ, hoc est, per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ, & extendens* (non tamen nimiùm, sed ad latitudinem corporis, Gerlac. cit. *tit. 5. §. 1.* Bauldr. quod & in sequentibus nota) *ac jungens manus ante pectus, ut priùs,* non tamen versùs terram, quasi eas à se abigendo, demittens, sed in altum

altum erectas tenens (Gerlac. cit.) *dicit voce prædicta alta:*

S. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

& junctîs, ut priùs, manibûs revertitur per eandem viam ad librum, ubi eas extendens, & jungens ante pectus, capútque solum (Lohner) *Cruci inclinans, dicit:*

Oremus.

tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, & digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem, distantiámque non excedat; quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem, ut suprà, extensis manibus, dicit Orationem alta voce:

Oratio.

DEUS, qui salutis æternæ beatæ Mariæ Virginitate fæcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum; qui tecum vivit & regnat in uni-

tate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

In hac vel ſimili Oratione, cùm dicit *JEſum Chriſtum*, Caput Cruci inclinat, & *cùm dicit*, in unitate, *manus jungit*; non autem ſimul caput iterum inclinat. Cæterùm

Pro neceſſaria, & pleniori intelligentia ſciendum, quòd Orationes in Miſſa triplicem potiſſimùm habere poſſint concluſionem, videlicet: 1. *Per Dominum*, vel *Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.* 2. *Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs ſancti DEus, &c.* 3. *Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEus, &c.* Pro his ſervanda eſt Rubrica, ut ſequitur: *Cùm dicit*: Per Dominum noſtrum, *jungit manus, eáſque junctas tenet usque ad finem* ante pectus; nec plus elevantur, cùm fit inclinatio capitis versùs Crucem ad verbum JESUM. Cantelm. *c.* 4. §. 3. *Si concludit Oratio*: Qui tecum, *vel*, qui vivis; *cùm dicit*, in unitate, *jungit manus* tantùm: nullo autem modo inclinat caput, nec ſe convertit ad Crucem, ut malè quidam. Gerlac. cit. *tit.* 5. §. 8. Cantelm. Bauldr. hîc, *num.* 4.

II. No-

II. Notanda etiam ſunt, & quidem per totam Miſſam, ſequentia: *Cùm nominatur* JESUS, *caput versùs Crucem inclinat: quod etiam facit, cùm nominatur in Epiſtola:* non autem ſic, quando pronuntiatur in Evangelio; quia ſi ibi proferatur, versùs librum Evangelii fit inclinatio. Lohner *p. 2. tit.* 32. *§.* 1. & habetur infrà in propria Rubr. Item, Quotieſcunque dicit, *Oremus*, inclinat caput versùs Crucem, niſi jam antè habeat inclinatum. Lohner cit. *Similiter ubicunque nominatur nomen B. Mariæ, vel Sanctorum, de quibus dicitur Miſſa, vel fit commemoratio* (quo tamen nomine hoc loco ne intelligas Suffragia communia Sanctorum in Oratione, *A cunctis*, ſed commemorationem de Feſto Simplici Sanctorum, vel de Octava, ad quorum nomina, etiam in Canone, nominata caput inclinatur, Gav. hîc, *litt. C.* Gerlac. *p. 2. t. 5. §. 7.*) *Item, in Oratione pro Papa, quando nominatur* (intellige, pro Papa vivente, & quando proprio nomine ſuo, non autem, quando *Papæ*, vel *Pontificis* ſolùm nomine exprimitur, Lohn. *p. 6. t. 5. n. 2. litt. M.* Cantelm. *c. 1. §. 4. n. 4*) *ſemper caput inclinat, non tamen verſus Crucem.* Quamvis autem pro Papa vivente, ut mox dictum eſt, hujusmodi capitis inclinatio facienda ſit, hæc tamen non fit

pro ullo alio Prælato; & hoc non solùm in Collecta, sed etiam in Canone. Cantelm. cit. citans Gav. Quart. & alios.

Porrò, pro facienda inclinatione notanda etiam est doctrina Cantelmi *c.* 1. *§.* 5. dicentis: Quando Celebrans ob aliquam rationem jam se inclinavit, antequam discedat à medio, uti osculando Altare ante *Dominus vobiscum*: vel, quando immediatè debet se inclinare, dum venit ad medium Altaris, puta, ad *Munda cor meum*: aut brevì, postquàm illuc venit, & Rubrica præscribit, ut fiat aliqua inclinatio, quemadmodùm ad verbum *Deum*, in principio *Credo*; tunc suprà dicta inclinatio (quæ fieri jubetur toties, quoties accedit ad medium Altaris, vel inde discedit) omittitur.

Cæterùm, *si plures Orationes sunt dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum, & capitis inclinatione, quod suprà dictum est, observatur.*

III. *Si Altare sit ad Orientem versùs populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cùm dicturus est*, Dominus vobiscum, Orate Fratres, Ite Missa est, *vel daturus benedictionem: sed osculatô Altarî in medio, ibi expansîs & junctis manibus ut suprà, salutat populum, & dat* benedictionem. Non

tamen

tamen intelligitur hæc Rubrica de omni Altari ad Orientem, sed de eo, in quo Celebrans habet & Crucem, & populum ante faciem suam. Gav. hîc, *num.* 3. *litt. B.* Bauldr. *p.* 3. *tit.* 5. *num.* 3. *Not.* 1. Gerlac. *p.* 2. *t.* 5. §. 8. Quart. &c. Quamvis autem Rubrica solummodò loquatur de Altari versùs Orientem erectô, idem nihilominus servandum omnino erit, etiamsi Altare sit erectum versùs quamcunque mundi plagam, & ita dispositum, ut Celebrans habeat & Crucem, & populum ante faciem suam. Quart. *p.* 2. *tit.* 5. *num.* 3.

§. Contra hactenùs dicta deficiunt: 1. Dicentes ante Orationem, *Oremus*, dum adhuc stant in medio Altaris, non expectantes, donec sint in loco Orationis dicendæ, ut Rubrica præcipit. 2. Qui ad *Oremus*, manus solùm disjungunt, absque eo, ut eas iterum conjungant, vel etiam caput versùs Crucem inclinent. Rubr. Cantelm. *c.* 10. §. 9. Item, qui ad *Oremus*, caput quidem Cruci inclinant, sed manus non disjungunt. Item, qui ad *Oremus*, caput quidem Cruci inclinant, sed manus non disjungunt. Item, qui ad *Dominus vobiscum* manus disjunxerunt quidem, sed ita disjunctas tenent, usque dum dicant *Oremus*. Rubr. 3. Qui ad *Dominus vobiscum*,

 exten-

extendentes & jungentes manus, etiam versùs populum se inclinant. Gerlac. cit. *t.* 5. §. 1. 4. Qui ad conclusionem, *Per Dominum nostrum*, manus quidem jungunt, non tamen ad *JEsum* caput versùs Crucem inclinant. 5. Qui in conclusione Orationum, *Qui vivis*, & *Qui tecum vivit*, *&c.* antequam dicant, *in unitate*, manus jungunt; aut juxta Rubricam manus quidem rectè jungentes, insuper etiam inclinationem capitis superaddunt. 6. Qui sub Orationibus digitos in altum non erectos, sed in æquali cum palmis altitudine constitutos, & quasi jacentes tenent. Lohner cit. *tit.* 5. *num.* 1. *litt. H.* Et quoniam sub Orationibus, & aliàs, quando manus elevatæ ita teneri debent, ut palma unius manûs alteram respiciat, etiam distantia manuum cum decore observanda sit, ita, ut neque nimis inter se distantes, neque etiam nimis propinquæ sint invicem, sed medium servetur; hinc, ut istud facilè, & uniformiter præstetur, uterque cubitus bino lateri conjungatur. Lohner cit.

IV. *In Quatuor Temporibus, vel aliàs, quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, dictô,* Kyrie eleison, *in medio Altaris, revertitur* (factâ priùs Cruci competente reverentiâ) *ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum*

librum extensis, & junctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans dicit: Oremus, Flectamus genua, *& illicò manibûs super Altare extensîs, ut se ipsum ad Altare sustineat* (quod semper facit quando genuflectit, digitîs simul junctîs, Bauldr. hîc *n.* 1.) *genuflectit* unico genu (Gav. hîc, Bauldr. cit.) ita, ut non priùs illa verba, *Flectamus genua*, proferat, & tunc primùm genuflectat, sed *genuflectit, cùm dicit*, Flectamus genua, prout præscribit Rubr. Missal. *p.* 1. *t.* 17. *num.* 1. *& sine mora surgens, eadem voce Ministro respondente,* Levate, *manibus extensis dicit Orationem ut suprà, & in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum, vel Altare positas, ut mox dicetur de Epistola.*

Est autem pro genuflexione à Celebrante facienda notandum, quòd genuflectendo (nisi infirmitas, difficultas, vel alia causa justa obsit) toties, quoties debeat genu terram tangere, sustinendo se manibûs extensîs super Altare, non autem conjunctîs, ut dictum est. Tenet autem genuflectendo manus extensas ante consecrationem extra Corporale, quantùm commodè potest; & post consecrationem juxta Rubricam supra Corporale. Attamen genuflectendo nullam aliam adjungit capitis, vel corporis inclinationem, Cantelm.

c. 1.

c. 1. §. 6. Porrò, circa præfatam genuflexionem advertendum, ut dum ea, sicut oportet, usque ad terram fit, non nimis præcipitanter fiat, nec cum tanto impulsu, & impetu, ut circumstantes pulsum genuflexione ad terram factum percipiant; sed cum devota, humili, & modesta gravitate, excludente tamen nimiam, aut etiam affectatam potiùs, quàm devotam in genuflectendo tarditatem.

TITULUS VI.

De Epistola, Graduali, & aliis, usque ad Offertorium.

I.

Dictis Orationibûs, Celebrans positis super librum, vel super Altare manibûs, ita, ut palmæ librum tangant, vel ut placuerit, librum tenens, legit Epistolam intelligibili voce,

Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Titum.

Charissime, apparuit gratia DEI Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens

erudiens nos, ut abnegantes impietatem, &c.

Et, Epiſtolâ finitâ, *reſpondetur à Miniſtro*:
Deo gratias.

Et ſimiliter ſtans eodem modo proſequitur Graduale, Alleluja, *&* Tractum, *ac* ſequentiam, *ſi dicenda ſint.*

Graduale.

VIderunt omnes fines terræ ſalutare DEI noſtri: jubilate DEO omnis terra. ℣. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: ante conſpectum gentium revelavit juſtitiam ſuam. Alleluja, alleluja. ℣. Multifariè olim DEUS loquens patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio. Alleluja.

Quibus dictis, ipſemet (ſi alius quisquam non adſit) *ſeu Miniſter portat librum Miſſalis ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii, & dum tranſit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat, & Miſſale ſic locat, ut poſterior pars libri reſpiciat ipſum cornu Altaris, & non ad parietem, ſive ad partem ejus contra ſe directam.*

II. *Loca-*

II. *Locatô Missalî in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibíque* absque Prævia Cruci factâ reverentiâ (Cantelm. *c.* 1. *§.* 5.) *stans junctis manibus ante pectus, elevatísque ad Deum oculis, & statim demissis, tum profundè inclinatus* manibûs itidem ante pectus junctîs, non super Altare positis (Gerlac. cit. *tit.* 6. *§.* 1. Cantelm. *c.* 2. *§.* 2. Lohn. *p.* 2. *t.* 15. *num.* 1. *&c.*) *dicit secretò:*

MUnda cor meum, ac labia mea, omnipotens DEUS, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundâsti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum dignè valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, & in labiis meis; ut dignè & competenter annuntiem Evangelium suum, Amen.

Dicit autem *Domine*, non *Domne*, quia à Deo non ab Homine benedictionem petit. Lohner *part.* 6. *tit.* 6. *num.* 2. *litt. F. Quibus dictis*, absque facta Cruci aliâ reverentiâ, *vadit ad librum Missalis, ubi stans versùs*

illum

illum junctis manibûs ante pectus, dicit intelligibili voce:

S. Dominus vobiſcum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Deinde pollice dextera manûs ſignô Crucis ſignat primò librum ſuper principio Evangelii, quod eſt lecturus, poſteà ſe ipſum in fronte, ore, & pectore, dicens:

Sequentia (vel, Initium) ſancti Evangelii ſecundùm N.

R. Gloria tibi Domine.

Ubi notandum eſt, quòd ſe Sacerdos ſignet non una ſola Cruce magna à fronte ad pectus ducta, ſed tribus parvis in fronte, ore, & pectore. Dum ſignat librum, ſiniſtra manus ponenda eſt vel ſuper Altare, ut placet Caſtaldo *l. 2. ſect. 7. cap. 3. num.* 3. vel ſuper librum, ut vult Gavant. hîc, quia non eſt benedictio. Quart. *p. 2. t. 6. n. 2. ℣. Tertiò, dicens.* Cùm verò ſignat ſe ipſum in fronte, ore, &c. tenet ſiniſtram infra pectus. Caſtald. Quart. cit. Gerlac. Fiant autem hæc Crucis ſigna pollice tantùm, non cum indice & pollice conjunctis in formam Crucis, & reliqua manu in longum extenſa. Gav. cit. *t. 6. n. 2. litt. D.* Gerlac. Lohner *p. 6. t. 6. n. 2. litt. H.*

Tum

Tum junctis iterum manibus ante pectus, stans ut suprà, prosequitur Evangelium *usque ad finem.*

In illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, &c.

Quo finito, minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris, respondet:

℟. Laus tibi Christe.

Et sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Evangelii, dicens:

Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.

præterquàm in Missis Defunctorum, & nisi celebret coram summo Pontifice, Cardinali. & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archi-Episcopo, & Episcopo in eorum Residentiis, quo casu defertur cuilibet prædictorum (cuilibet solitariè accepto, intellige, Lohner *p. 6. t. 6. n. 2. litt. L.*) *osculandus liber, & Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit:* Per Evangelica dicta, &c. quia hîc ℣. semper omittitur omissô osculô, Bauldr. hîc. Pro hoc tamen puncto sequentia notentur: Si plures Prælati æquales interessent Missæ, nulli dabitur osculandus liber, nec etiam Celebranti; si plures inæquales, tunc digniori tantùm. Gav. hîc, citans Cærem. Episc. *lib. 1. cap.* 30. Gerlac. *p.* 2. *tit.* 6. *§.* 10. Ne tamen

men in hoc, vel simili casu errare contingat, quoad fieri potest, Particularia quoque Diœcesana, &c. consulantur, & observentur. De Principibus Gav. hoc loco *litt. R.* in fine, sic scribit: Principibus magnis ex tolerantia, non autem inferioribus laicis defertur: & illis alius liber deferendus est, non idem ipse Celebrantis, qui proprium eo casu semper osculari debet librum, & dicere verba, *Per Evangelia dicta, &c.* Gerlac. *p.* 2. *t.* 6. §. 11. Lohner. &c. *Cùm autem nominatur* JESUS, *caput versùs librum inclinat, & eodem modo versùs librum genuflectit, cùm in Evangelio est genuflectendum.*

§. Contra positam Rubricam deficiunt: 1. Qui ad *Munda cor meum, &c.* non faciunt totum illud, quod præscribit Rubrica, scilicet: elevare oculos ad principium, inclinare profundè, tenere manus junctas inter Altare & pectus, non autem positas super Altare. 2. Qui incipiunt *Munda cor meum,* dum adhuc sunt in via ad medium Altaris. 3. Qui post *Munda cor meum, &c.* non dicunt, *Jube Domine benedicere &c.* in Missis vivorum; vel, qui hoc dicunt in Missis Defunctorum; aut locò *Domine* dicunt *Domne,* ut in Missa Solemni à Diacono dicitur. Rubr. 4. Qui præfata Oratione dicta, vel se signant, vel dicunt: *In nomine Patris, &c.* vel osculantur

Altare. Bauldr. *p.* 3. *tit.* 6. *num.* 1. 5. Qui lectô Evangeliô, antequam osculentur librum, eundem signant, sicut à principio, contra expressam Rubricam, suprà *tit.* 4. *num.* 1. ℣. *Cæterùm.* 6. Qui ad finem Orationis, *Per Evangelica dicta*, *&c.* adjungunt, *Amen.* Cantelm. *c.* 10. *§.* 10. per tot. Gerlac. *tit.* 6. *§§.* 3. *&* 7.

III. *Dictô Evangeliô*, osculatóque librô, & eô unà cum cussino ad medium Altaris prope Corporale collocatô (Gerlac. cit. §§. 7.) *stans in medio Altaris versùs Crucem*, absque facta eidem prævia aliqua inclinatione (Cantelm. *c.* 1. *§.* 5.) *elevans & extendens manus*, *incipit*, *si dicendum sit:*

Credo in unum Deum.

Cùm dicit: in unum DEUM, *jungit manus*, *& caput Cruci inclinat.* *Quo erecto*, *stans ibidem junctis ante pectus manibus*, *ut priùs*, *prosequitur usque ad finem:*

PAtrem omnipotentem factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum JESUM Christum, Filium DEI unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen

de

de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine : & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis : sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas. Et ascendit in cœlum : sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos : cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem : qui ex Patre, Filióque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur : qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi, Amen.

tate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

In hac vel ſimili Oratione, cùm dicit *JEſum Chriſtum*, Caput Cruci inclinat, & *cùm dicit*, in unitate, *manus jungit*; non autem ſimul caput iterum inclinat. Cæterùm

Pro neceſſaria, & pleniori intelligentia ſciendum, quòd Orationes in Miſſa triplicem potiſſimùm habere poſſint concluſionem, videlicet: 1. *Per Dominum*, vel *Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.* 2. *Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs ſancti DEus, &c.* 3. *Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEus, &c.* Pro his ſervanda eſt Rubrica, ut ſequitur: *Cùm dicit*: Per Dominum noſtrum, *jungit manus, eáſque junctas tenet usque ad finem* ante pectus; nec plus elevantur, cùm fit inclinatio capitis versùs Crucem ad verbum JESUM. Cantelm. *c.* 4. §. 3. *Si concludit Oratio*: Qui tecum, *vel*, qui vivis; *cùm dicit*, in unitate, *jungit manus* tantùm: nullo autem modo inclinat caput, nec ſe convertit ad Crucem, ut malè quidam. Gerlac. cit. *tit.* 5. §. 8. Cantelm. Bauldr. hìc, *num.* 4.

II. No-

II. Notanda etiam ſunt, & quidem per totam Miſſam, ſequentia: *Cùm nominatur* JESUS, *caput versùs Crucem inclinat: quod etiam facit, cùm nominatur in Epiſtola*: non autem ſic, quando pronuntiatur in Evangelio; quia ſi ibi proferatur, versùs librum Evangelii fit inclinatio. Lohner *p. 2. tit.* 32. ſ. 1. & habetur infrà in propria Rubr. Item, Quotieſcunque dicit, *Oremus*, inclinat caput versùs Crucem, niſi jam antè habeat inclinatum. Lohner cit. *Similiter ubicunque nominatur nomen B. Mariæ, vel Sanctorum, de quibus dicitur Miſſa, vel ſit commemoratio* (quo tamen nomine hoc loco ne intelligas Suffragia communia Sanctorum in Oratione, *A cunctis*, ſed commemorationem de Feſto Simplici Sanctorum, vel de Octava, ad quorum nomina, etiam in Canone, nominata caput inclinatur, Gav. hîc, *litt. C.* Gerlac. *p. 2. t. 5.* ſ. 7.) *Item, in Oratione pro Papa, quando nominatur* (intellige, pro Papa vivente, & quando proprio nomine ſuo, non autem, quando *Papæ*, vel *Pontificis* ſolùm nomine exprimitur, Lohn. *p. 6. t. 5. n. 2. litt. M.* Cantelm. *c. 1.* ſ.4.*n.*4) *ſemper caput inclinat, non tamen verſus Crucem.* Quamvìs autem pro Papa vivente, ut mox dictum eſt, hujusmodi capitis inclinatio facienda ſit, hæc tamen non fit

pro ullo alio Prælato; & hoc non solùm in Collecta, sed etiam in Canone. Cantelm. cit. citans Gav. Quart. & alios.

Porrò, pro facienda inclinatione notanda etiam est doctrina Cantelmi *c. 1. §. 5.* dicentis: Quando Celebrans ob aliquam rationem jam se inclinavit, antequam discedat à medio, uti osculando Altare ante *Dominus vobiscum*: vel, quando immediatè debet se inclinare, dum venit ad medium Altaris, puta, ad *Munda cor meum*: aut brevì, postquàm illuc venit, & Rubrica præscribit, ut fiat aliqua inclinatio, quemadmodùm ad verbum *Deum*, in principio *Credo*; tunc suprà dicta inclinatio (quæ fieri jubetur toties, quoties accedit ad medium Altaris, vel inde discedit) omittitur.

Cæterùm, *si plures Orationes sunt dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum, & capitis inclinatione, quod suprà dictum est, observatur.*

III. *Si Altare sit ad Orientem versùs populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cùm dicturus est,* Dominus vobiscum, Orate Fratres, Ite Missa est, *vel daturus benedictionem: sed osculatô Altarî in medio, ibi expansîs & junctis manibus ut suprà, salutat populum, & dat* benedictionem. Non

tamen

tamen intelligitur hæc Rubrica de omni Altari ad Orientem, ſed de eo, in quo Celebrans habet & Crucem, & populum ante faciem ſuam. Gav. hîc, *num.* 3. *litt. B.* Bauldr. *p.* 3. *tit.* 5. *num.* 3. *Not.* 1. Gerlac. *p.* 2. *t.* 5. §. 8. Quart. &c. Quamvis autem Rubrica ſolummodò loquatur de Altari versùs Orientem erectô, idem nihilominus ſervandum omnino erit, etiamſi Altare ſit erectum versùs quamcunque mundi plagam, & ita diſpoſitum, ut Celebrans habeat & Crucem, & populum ante faciem ſuam. Quart. *p.* 2. *tit.* 5. *num.* 3.

§. Contra hactenùs dicta deficiunt: 1. Dicentes ante Orationem, *Oremus*, dum adhuc ſtant in medio Altaris, non expectantes, donec ſint in loco Orationis dicendæ, ut Rubrica præcipit. 2. Qui ad *Oremus*, manus ſolùm disjungunt, abſque eo, ut eas iterum conjungant, vel etiam caput versùs Crucem inclinent. Rubr. Cantelm. *c.* 10. §. 9. Item, qui ad *Oremus*, caput quidem Cruci inclinant, ſed manus non disjungunt. Item, qui ad *Oremus*, caput quidem Cruci inclinant, ſed manus non disjungunt. Item, qui ad *Dominus vobiſcum* manus disjunxerunt quidem, ſed ita disjunctas tenent, usque dum dicant *Oremus*. Rubr. 3. Qui ad *Dominus vobiſcum*,

 exten-

extendentes & jungentes manus, etiam versùs populum se inclinant. Gerlac. cit. *t.* 5. §. 1. 4. Qui ad conclusionem, *Per Dominum nostrum*, manus quidem jungunt, non tamen ad *JEsum* caput versùs Crucem inclinant. 5. Qui in conclusione Orationum, *Qui vivis*, & *Qui tecum vivit*, *&c.* antequam dicant, *in unitate*, manus jungunt; aut juxta Rubricam manus quidem rectè jungentes, insuper etiam inclinationem capitis superaddunt. 6. Qui sub Orationibus digitos in altum non erectos, sed in æquali cum palmis altitudine constitutos, & quasi jacentes tenent. Lohner cit. *tit.* 5. *num.* 1. *litt. H.* Et quoniam sub Orationibus, & aliàs, quando manus elevatæ ita teneri debent, ut palma unius manûs alteram respiciat, etiam distantia manuum cum decore observanda sit, ita, ut neque nimis inter se distantes, neque etiam nimis propinquæ sint invicem, sed medium servetur; hinc, ut istud facilè, & uniformiter præstetur, uterque cubitus bino lateri conjungatur. Lohner cit.

IV. *In Quatuor Temporibus, vel aliàs, quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, dictô*, Kyrie eleison, *in medio Altaris, revertitur* (factâ priùs Cruci competente reverentiâ) *ad cornu Epistolæ, ubi stans ante*

librum

librum extensis, & junctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans dicit: Oremus, Flectamus genua, *& illicò manibûs super Altare extensîs, ut se ipsum ad Altare sustineat* (quod semper facit quando genuflectit, digitîs simul junctîs, Bauldr. hîc *n.* 1.) *genuflectit* unico genu (Gav. hîc, Bauldr. cit.) ita, ut non priùs illa verba, *Flectamus genua*, proferat, & tunc primùm genuflectat, sed *genuflectit, cùm dicit*, Flectamus genua, prout præscribit Rubr. Missal. *p.* 1. *t.* 17. *num.* 1. *& sine mora surgens, eadem voce Ministro respondente*, Levate, *manibus extensis dicit Orationem ut suprà, & in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum, vel Altare positas, ut mox dicetur de Epistola.*

Est autem pro genuflexione à Celebrante facienda notandum, quòd genuflectendo (nisi infirmitas, difficultas, vel alia causa justa obsit) toties, quoties debeat genu terram tangere, sustinendo se manibûs extensîs super Altare, non autem conjunctîs, ut dictum est. Tenet autem genuflectendo manus extensas ante consecrationem extra Corporale, quantùm commodè potest; & post consecrationem juxta Rubricam supra Corporale. Attamen genuflectendo nullam aliam adjungit capitis, vel corporis inclinationem. Cantelm.

c. I.

c. 1. §. 6. Porrò, circa præfatam genuflexionem advertendum, ut dum ea, ſicut oportet, usque ad terram fit, non nimis præcipitanter fiat, nec cum tanto impulſu, & impetu, ut circumſtantes pulſum genuflexione ad terram factum percipiant; ſed cum devota, humili, & modeſta gravitate, excludente tamen nimiam, aut etiam affectatam potiùs, quàm devotam in genuflectendo tarditatem.

TITULUS VI.

De Epiſtola, Graduali, & aliis, usque ad Offertorium.

I.

DIctis Orationibûs, Celebrans poſitis ſuper librum, vel ſuper Altare manibûs, ita, ut palmæ librum tangant, vel ut placuerit, librum tenens, legit Epiſtolam intelligibili voce,

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Titum.

Chariſſime, apparuit gratia DEI Salvatoris noſtri omnibus hominibus

erudiens

erudiens nos, ut abnegantes impietatem, &c.

Et, Epistolâ finitâ, *respondetur à Ministro:* Deo gratias.

Et similiter stans eodem modo prosequitur Graduale, Alleluja, *&* Tractum, *ac* sequentiam, *si dicenda sint.*

Graduale.

VIderunt omnes fines terræ salutare DEI nostri: jubilate DEO omnis terra. ℣. Notum fecit Dominus salutare suum: ante conspectum gentium revelavit justitiam suam. Alleluja, alleluja. ℣. Multifariè olim DEUS loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. Alleluja.

Quibus dictis, ipsemet (si alius quisquam non adsit) *seu Minister portat librum Missalis ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii, & dum transit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat, & Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, & non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam.*

II. *Loca-*

II. *Locatô Missali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique* absque Prævia Cruci factâ reverentiâ (Cantelm. *c.* 1. *§.* 5.) *stans junctis manibus ante pectus, elevatisque ad Deum oculis, & statim demissis, tum profundè inclinatus* manibûs itidem ante pectus junctîs, non super Altare positis (Gerlac. cit. *tit.* 6. *§.* 1. Cantelm. *c.* 2. *§.* 2. Lohn. *p.* 2. *t.* 15. *num.* 1. *&c.*) *dicit secretò:*

MUnda cor meum, ac labia mea, omnipotens DEUS, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundâsti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum dignè valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, & in labiis meis; ut dignè & competenter annuntiem Evangelium suum, Amen.

Dicit autem *Domine*, non *Domne*, quia à Deo non ab Homine benedictionem petit. Lohner *part.* 6. *tit.* 6. *num.* 2. *litt. F. Quibus dictis*, absque facta Cruci aliâ reverentiâ, *vadit ad librum Missalis, ubi stans versùs*

illum

illum junctis manibûs ante pectus, dicit intelligibili voce:

S. Dominus vobiſcum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Deinde pollice dexteræ manûs ſignô Crucis ſignat primò librum ſuper principio Evangelii, quod eſt lecturus, poſteà ſe ipſum in fronte, ore, & pectore, dicens:

Sequentia (vel, Initium) ſancti Evangelii ſecundùm N.

R. Gloria tibi Domine.

Ubi notandum eſt, quòd ſe Sacerdos ſignet non una ſola Cruce magna à fronte ad pectus ducta, ſed tribus parvis in fronte, ore, & pectore. Dum ſignat librum, ſiniſtra manus ponenda eſt vel ſuper Altare, ut placet Caſtaldo *l.* 2. *ſect.* 7. *cap.* 3. *num.* 3. vel ſuper librum, ut vult Gavant. hîc, quia non eſt benedictio. Quart. *p.* 2. *t.* 6. *n.* 2. *℣. Tertiò, dicens.* Cùm verò ſignat ſe ipſum in fronte, ore, &c. tenet ſiniſtram infra pectus. Caſtald. Quart. cit. Gerlac. Fiant autem hæc Crucis ſigna pollice tantùm, non cum indice & pollice conjunctis in formam Crucis, & reliqua manu in longum extenſa. Gav. cit. *t.* 6. *n.* 2. *litt. D.* Gerlac. Lohner *p.* 6. *t.* 6. *n.* 2. *litt. H.*

Tum junctis iterum manibus ante pectus, stans ut suprà, prosequitur Evangelium *usque ad finem.*

In illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, &c.

Quo finito, minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris, respondet:

℟. Laus tibi Christe.

Et sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Evangelii, dicens:

Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.

præterquàm in Missis Defunctorum, & nisi celebret coram summo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archi-Episcopo, & Episcopo in eorum Residentiis, quo casu defertur cuilibet prædictorum (cuilibet solitariè accepto, jntellige, Lohner *p. 6. t. 6. n. 2. litt. L.*) *osculandus liber, & Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit:* Per Evangelica dicta, &c. quia hîc ℣. semper omittitur omissô osculô, Bauldr. hîc. Pro hoc tamen puncto sequentia notentur: Si plures Prælati æquales interessent Missæ, nulli dabitur osculandus liber, nec etiam Celebranti; si plures inæquales, tunc digniori tantùm. Gav. hîc, citans Cærem. Episc. *lib. 1. cap.* 30. Gerlac. *p.* 2. *tit.* 6. *§.* 10. Ne tamen

men in hoc, vel simili casu errare contingat, quoad fieri potest, Particularia quoque Diœcesana, &c. consulantur, & observentur. De Principibus Gav. hoc loco *litt. R.* in fine, sic scribit: Principibus magnis ex tolerantia, non autem inferioribus laicis defertur: & illis alius liber deferendus est, non idem ipse Celebrantis, qui proprium eo casu semper osculari debet librum, & dicere verba, *Per Evangelia dicta, &c.* Gerlac. *p. 2. t. 6.* §. 11. Lohner. &c. *Cùm autem nominatur* JESUS, *caput versùs librum inclinat, & eodem modo versùs librum genuflectit, cùm in Evangelio est genuflectendum.*

§. Contra positam Rubricam deficiunt: 1. Qui ad *Munda cor meum, &c.* non faciunt totum illud, quod præscribit Rubrica, scilicet: elevare oculos ad principium, inclinare profundè, tenere manus junctas inter Altare & pectus, non autem positas super Altare. 2. Qui incipiunt *Munda cor meum,* dum adhuc sunt in via ad medium Altaris. 3. Qui post *Munda cor meum, &c.* non dicunt, *Jube Domine benedicere &c.* in Missis vivorum; vel, qui hoc dicunt in Missis Defunctorum; aut locò *Domine* dicunt *Domne,* ut in Missa Solemni à Diacono dicitur. Rubr. 4. Qui præfata Oratione dicta, vel se signant, vel dicunt: *In nomine Patris, &c.* vel osculantur

D Al-

Altare. Bauldr. *p.* 3. *tit.* 6. *num.* 1. 5. Qui lectô Evangeliô, antequam osculentur librum, eundem signant, sicut à principio, contra expressam Rubricam, suprà *tit.* 4. *num.* 1. ℣. *Cæterùm.* 6. Qui ad finem Orationis, *Per Evangelica dicta, &c.* adjungunt, *Amen.* Cantelm. *c.* 10. §. 10. per tot. Gerlac. *tit.* 6. §§. 3. & 7.

III. *Dictô Evangeliô*, osculatóque librô, & eô unà cum cussino ad medium Altaris prope Corporale collocatô (Gerlac. cit. §. 7.) *stans in medio Altaris versùs Crucem*, absque facta eidem prævia aliqua inclinatione (Cantelm. *c.* 1. §. 5.) *elevans & extendens manus, incipit, si dicendum sit:*

Credo in unum Deum.

Cùm dicit: in unum DEUM, *jungit manus, & caput Cruci inclinat. Quo erecto, stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut priùs, prosequitur usque ad finem:*

PAtrem omnipotentem factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum JESUM Christum, Filium DEI unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen

de

de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem: qui ex Patre, Filióque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi, Amen.

In hoc Symbolo *cùm dicit*, IESUM Christum, *caput Cruci inclinat*. *Cùm dicit*, Et incarnatus est, *usque ad*, Et Homo factus est, *inclusivè*, *genuflectit*. Modum hujus notat cantelm. *c.* 10. *§.* 11. dicens: Est error genuflectere utroque genu ad *Et incarnatus est*; inclinare caput, & junctas tenere manus supra Altare. Est autem juxta Rubricam, incipere genuflexionem ad *Et incarnatus est*, & finire illam ad *Homo factus est*, sine inclinatione capitis, & manibûs extensîs supra Altare. Hæc ille. Quibus addendum, quòd in Missis privatis ad verba *Et incarnatus est*, etiam in Festo Annuntiationis B. V. M. & tribus Missis in Nativitate Domini, non utrumque, sed unum solummodò genu flectendum sit. Lohner *p.* 2. *t.* 17. *num.* 7. *Cùm dicit*, simul adoratur, *caput Cruci inclinat*. *Cùm dicit*, Et vitam venturi sæculi, Amen, *producit sibi manu dextera signum Crucis à fronte ad pectus*. Addit quidem Gavant. hîc: In verbo *Amen*, junge manus, ut diximus in fine Hymni Angelici: cùm verò Rubricæ id non præcipiant; potest sine scrupulo omitti. Lohner hîc, *litt. K.* Vide in simili suprà, *Tit. IV. in fine*.

§. Contra hanc Rubricam faciunt: 1. Qui dum Missale cum cussino versùs Altaris

medium

medium collocant; aut immediatè, postquàm initium Evangelii in fine ejusdem osculati sunt, Symbolum incipiunt, cùm tamen id *stantes in medio Altaris* facere jubeantur. Rubr. 2. Qui idem Symbolum incipientes, manus vel non elevant, vel non extendunt, vel signo Crucis se signant. Rubr. 3. Errant, qui Symbolum, quando dicendum est, omittunt; vel dicunt, quando omittendum est. Quando autem illud dicendum sit, ad longum recenset Rubr. Missal. *part.* 1. *Tit.* 11. *num. un.* ubi videatur, ne non rarò supinus, vel omnino crassus error committatur. Quamvis autem Rubrica Missalis loco cit. dicat, Symbolum dicitur, *ubi habetur Corpus, vel insignis Reliquia Sancti, de quo agitur*, notandum tamen est Decretum S. R. C. 2. *Dec.* 1684. quod sic sonat: In Ecclesiis, ubi asservatur insignis Reliquia alicujus Sancti, quando celebratur Missa, dicitur cum *Credo*: extra talem verò Ecclesiam sine *Credo* dicitur. Est autem advertendum, quòd ad hoc, ut dici possit *Credo* in illa Ecclesia, ubi Reliquia insignis asservatur, non sit necesse, quòd eadem Reliquia sit exposita; sufficit ergo, quòd talis Reliquia in dicta Ecclesia habeatur.

Merati *p.* 1. *tit.* 11. *n.* 10.

TITULUS VII.

De Offertorio, & aliis, usque ad Canonem.

I.

Dictô Symbolô, vel, si non sit dicendum, post Evangelium Celebrans osculatur Altare in medio, & junctîs manibûs ante pectus, ibidem à manu sinistra ad dexteram (ut dictum est suprà, tit. 5. num. 1.) *vertit se ad populum, extendens ac jungens manus, dicit:*

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

& junctîs manibûs revertitur per eandem viam ad medium Altaris, ubi extendens & jungens manus, capútque Cruci inclinans, dicit:

Oremus.

Tum junctis, ut prius, manibus, dicit Offertorium: & omnia, quæ usque ad finem Missæ in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi ubi aliter ordinatur.

Offerto-

Offertorium.

Tui ſunt cæli, & tua eſt terra: orbem terrarum, & plenitudinem ejus tu fundâſti, &c.

§. Deficiunt contra hanc Rubricam: 1. Qui dicunt Offertorium manibûs expanſîs, & non junctîs ante pectus. Gerlac. hîc. Cantelm. *c.* 10. *num.* 1. 2. Qui non legunt Offertorium in Miſſis Defunctorum, ut aliàs, ſed recitando illud memoriter, detegunt interim Calicem, & faciunt alias Cæremonias ſubſequentes. Cantelm. cit. *num.* 2.

II. *Dictô Offertoriô diſcooperit Calicem*, adhuc ſuper Corporale exiſtentem, velúmque plicatum prope tabellam Secretarum ad cornu Epiſtolæ extra Corporale deponit, Gerlac. cit. *tit.* 7. *§.* 4. Lohner *p.* 2. *tit.* 18. & *p.* 6. *tit.* 7. Bauldr. &c. Deinde Calicem, velô tantùm ab eo remotô (Gerlac. cit.) *ad cornu Epiſtolæ ſiſtit, & manu dextra amovet parvam pallam deſuper Hoſtiam* (ſiniſtrâ ſuper Altare retentâ) *accipit* ſola manu dextera de Calice *Patenam cum Hoſtia, & ambabus manibus usque ad pectus eam elevatam tenens, oculîs ad Deum elevatîs, & ſtatim demiſſîs, dicit:*

Suscipe sancte Pater omnipotens æterne DEUS, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo, &c.

ut in Ordine Missæ *habetur*.

Cæterùm, pro elevatione oculorum notandum est, quòd, quamvis Rubrica præscribat, ut eleventur oculi nunc ad cælum, nunc ad Deum, intelligi debeat versùs Crucifixum. Cantelm. *c.* 1. §. 1. Tonnell. & alii. Consentit Bauldr. *p.* 3. *c.* 6. dicens: Quando Celebrans oculos elevat sursum, non est necesse, ut elevet caput, nec, ut quasi cælum respiciat, sed tantùm faciem Christi in Cruce pendentis. Attamen ab hac regula excipiendum videtur, si Oratio, in qua oculi elevandi sunt, directè & expressè ad Deum Patrem dirigatur: tunc enim oculos ad cælum, non autem ad Crucifixum elevandos esse videtur; nisi expressè aliter in Rubrica præscribatur.

III. *Si fuerint aliæ Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice, seu vase pro Communione populi consecrandæ, Calicem illum, seu vas,* antequam accipiat Patenam cum Hostia (Gav. hîc *litt. Y.*) *dexterâ discooperit, & intentionem suam etiam ad illas*

las offerendas & consecrandas dirigens, dicit, ut suprà, Suscipe sancte Pater, &c. *ut in Ordine Missæ.* *Quo dicto* (sive unam, ut priori numero, sive plures, ut hoc numero, Hostias obtulerit) *Patenam utraque manu tenens, cum ea facit signum Crucis super Corporale, & deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis ante se; & Patenam ad manum dexteram aliquantulum subtus Corporale, quam exterso Calice, ut dicetur, cooperit Purificatorio. Si autem adsit vas, seu Calix cum aliis Hostiis, ipsum cooperit alia Patena, vel Palla.*

§. Contra has Rubricas deficiunt: 1. Qui plicato Calicis velo, cùm deberent ponere Calicem versùs cornu Epistolæ extra Corporale, & inde manu dextra levare Pallam pro oblatione Hostiæ facienda ambabus manibus; accipiunt quidem dexterâ Calicem ponendum in cornu Epistolæ, sed sinistrâ accipiunt, & intereà retinent Patenam cum Hostia & Palla desuper, contra id, quod expresse Rubrica ordinat. Cantelm. *c.* 10. *§.* 11. *n.* 3. 2. Qui, dum actu velum Calicis removent, vel plicant, vel Calicem ad cornu Epistolæ collocant, incipiunt Orationem, *Suscipe &c.* 3. Qui non elevant oculos ad Orationem *Suscipe*; aut elevatos non mox iterum demittunt.

Rubr. Cantelm. cit. *num.* 4. 4. Qui cum Patena & Hostia signum Crucis super Corporale facientes, Patenam una tantùm manu tenent, alterâ super Altare positâ. Rubr. Cantelm. *c.* 6. *§.* 3. *num.* 2. 5. Qui Hostiam in Corporali ponunt, antequàm Orationem, *Suscipe, &c.* integrè absolverint. Lohner *p.* 6. *t.* 7. *num.* 3. *litt. N.* 6. Qui, dum cum Patena signum Crucis super Altare faciunt, idem in altum, quasi se ipsos benedicendo efformant. 7. Qui facta oblatione Hostiæ Patenam abstergunt ad propriam Casulam. Cantelm. cit. *num.* 5. 8. Qui acie Patenæ, ne Particula (ut ajunt) vel aliud quidquam in ea remaneat, extremitatem Corporalis percutientes, non nisi scissuras &c. in eo efformant, non recordantes, quòd, priusquàm, dictô *Pater noster, &c.* Hostiæ Patena submittatur, hæc Purificatoriô, prout necesse fuerit, abstergi possit. 9. Qui integram Patenam sub Corporali abscondunt, cùm tamen solummodo *aliquantulùm*, scilicet secundùm minorem, vel mediam sui duntaxat partem, ut commodè Purificatoriô cooperiri possit, *subtus Corporale* deponenda sit. Rubr. Lohner cit. *litt.* O.

IV. *Deinde*, factâ priùs Cruci debitâ reverentiâ (Gerlac. hîc *§.* 7. Lohner &c.)

in

in cornu Epistolæ accipit Calicem, Purificatoriô extergit (quod facit eodem modo, quo infra *tit.* 10. *num.* 5. ℣. *Contra Rubricas.* n 8: Calicis abstersio facienda notatur) *& sinistrâ tenens illius nodum*, ac simul pollice ejusdem manûs Purificatorium, ita accommodatum, ut deflua ejus pars pedem Calicis contra casuras fortè ex ampullis guttas, ne aspergatur, communiat (Lohner *p.* 6. *t.* 14. *num.* 46.) *accipit ampullam vini de manu ministri* (*qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis*, licèt eidem caput saltem inclinando, debitam exhibere reverentiam non oblivilcatur, Gav.) *& ponit vinum in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis super ampullam aquæ, & dicit:*

Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabiliùs reformâsti:

Et infundens parùm aquæ in Calice prosequitur:

Da nobis per hujus aquæ & vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ &c.

Si guttæ vini, aut aquæ dispersæ appareant intra Calicem, tunc vel circumacto vino Calicis unit, vel Purificatoriô absterget,

git, ac Calicem in cornu Epistolæ versùs medium Altaris sistit, & Purificatorium taliter componit, ut Patenam, seu partem ipsius Corporali non coopertam, tegat. Gav. Lohner cit. *num.* 47. *Si celebrat pro Defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed imponit absque benedictione, dicens Orationem:* Deus, qui humanæ substantiæ &c. *ut suprà.*

§. Errant contra hanc Rubricam: 1. Qui accipiendo ampullam vini incipiunt Orationem, *Deus, qui humana, &c.* non expectantes, usque dum accipiatur altera aquæ, super quam debet fieri signum Crucis eodem tempore, quo incipit præfatam Orationem. Rubr. Cantelm. *c.* 10. *§.* 12. *num.* 6. 2. Qui Purificatoriô integram cuppam Calicis circumtegunt, sinistrâ tenentes ejusdem extremitates, donec vinum & aquam in Calicem posuerint. 3. Periculosè errant, qui manum Purificatoriô obvolutam, volâ ad se conversâ, cuppæ Calicis simpliciter applicant, & sic cum periculo subversionis vinum & aquam in Calicem ponunt. 4. Qui accipiunt Patenam, & eam adhibent pro infundenda gutta aquæ in Calicem, quæ priùs ex ampulla cecidit supra Patenam; cùm de Rubrica Patena tali tempore debeat esse subtus Corporale.

porale. Cantelm. *c. 9. §. 1. n. 4.* 5. Qui pro infundenda aqua in Calicem, sinistræ manûs indicem supremis Calicis labiis imponunt, ut aquæ guttæ indici prædicto priùs affusæ, ex eodem in Calicem decidant.

V. *Impositâ aquâ in Calice, & finita Oratione prædicta*, reversus ad medium Altaris absque eo, ut Calicem secum deferat (Castald. *lib. 2. sect. 8. cap. 5. n. 5.*) factâ priùs Cruci debitâ reverentiâ (Lohn. hîc) *accipit manu dextra Calicem discoopertum* à cornu Epistolæ, sinistrâ interim super Altare positâ, *& stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus elevatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentîs ad Deum*, hoc est, (ut notat Lohner *p. 6. t. 7. num. 5. litt. Z.*) ad Crucem elevatîs *oculîs offert, dicens:*

Offerimus tibi, Domine, Calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinæ Majestatis tuæ pro nostra, & totius mundi salute, cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Tenet autem Calicem sub oblatione ita elevatum, ut cuppa Calicis non excedat oculos, neque sit infra os, ad differentiam eleva-

elevati Calicis consecrati, ut monet Gav. *p.* 2 *t.* 7. *num.* 5. *lit. H.* Arnaud. &c. *Oratione*, Offerimus tibi &c. *dictâ*, *facit signum Crucis cum Calice* (quem, dum signat, ambabûs manibûs tenet, Bauldr. *p.* 3. *tit.* 7. *num.* 5. Lohner *p.* 2. *t.* 18. *num.* 5. Gerlac. *p.* 2. *t.* 7. *§.* 14. Cantelm. *c.* 5. *§.* 1. *num.* 3.) *super Corporale*, ut suprà *num.* 3. cum Patena, *& ipsum in medio post Hostiam collocat, & Pallâ cooperit. Deinde junctis manibûs super Altare positis* (ut *tit.* 4. *num.* 1. ℣. *Pro hujus Rubricæ.* dictum) *aliquantulùm*, seu mediocriter *inclinatus*, *dicit secretò:*

In Spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te, Domine: & sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.

Posteà erectus, elevans oculos, & statim demittens (juxta Ord. Missæ) *manúsque expandens & statim jungens ante pectus* (*quod semper facit, quando aliquid est benedicturus*, intellige de manibus tantùm, non de oculis elevandis, qui post consecrationem defigendi potiùs sunt in Hostiam consecratam; & item, quando utraque manus est libera, nec earum altera est occupata ad Ho-

stiam

stiam tenendam, seu Calicem, Gav. p. 2. tit. 7. num. 5. litt. N. Arnaud. Bauld.) dicit:

Veni Sanctificator omnipotens æterne Deus:

Cùm dicit:

Et bene ✠ dic hoc Sacrificium tuo sancto nomini præparatum.

Signat manu dextra communiter super Hostiam & Calicem, sinistrâ positâ super Altare.

Ad formandas verò Cruces manu dextra, Regula sit, ut formentur duæ lineæ, prout pingitur in Missali, non autem quatuor puncta; & lineæ illæ non excedant mensuram palmi communis manûs. Gav. cit. *litt. P.* ℣. *Ad formandas.* Arnaud. hîc *n.* 7. Gerlac. *p.* 2. *t.* 7. §. 15. Quòd si super Hostiam & Calicem communiter, hoc est, super utrumque simul signat, Crux ita formari debet, ut æqualiter altè fiat à Calice ad Hostiam, & transversè super oram anteriorem Pallæ, quæ Calicem tegit, absque eo, ut medietatem versùs Hostiam deprimat, sed tota Crux in æquali altitudine integrè formetur; & hoc toties, quoties Hostia & Calix simul signantur. Gav. cit. Cantelm. *c.* 6. §. 3. *num.* 4. Gerlac. cit. §. 15. Lohner cit. *num.* 7. Arnaud. hîc, *num.* 7. Præterea (subjungit Gerlac. cit.

§. 16.

§. 16.) in faciendis vivificæ Crucis consignationibus, exactissimè, perfectissiméque observet, ne circulos, variationes digitorum, vel quævis alia figmenta potiùs, quàm sacrum Crucis signum formare videatur: nec nimis celeriter, sed distinctè signum Crucis formet, & regulari atque uniformi motu quasi calamô lineas designans omni affectatione semota, manus ipsas ducat, atque deducat. Hæc Gerlac.

Utrùm autem pars transversa Crucis manu quoque transversâ, vel rectâ fieri debeat, controvertunt Authores. Gavantus, & quotquot cum eo sentiunt, volunt, ut *fiat transversa pars Crucis manu quoque transversâ, non eâ rectâ, quâ ad abigendas à Calice muscas utimur.* His tamen non obstantibus Quart. Comment. in Rubr. Missal. *p.* 2. *tit.* 3. *sect.* 1. *dub.* 5. tenet, & ut longè probabiliorem sequitur, *lineam transversam formandam esse non manu transversâ, sed extensâ in rectum.* Item Castald. à Quart. citatus, Bonamic. Cantelm. qui *c.* 6. §. 5. sic scribit: *Modus benedicendi, vel signandi res oblatas manu omnino extensa, & digitis simul junctis, & extensis videtur magis opportunus secundùm mentem Sac. Congregationis Rituum, prout eruitur ex aliqua Dalmatiarum* 4. *Aug.* 1663. *& in alia Albiganensi* 24. *Julii* 1683. *item Anno*

1704.

1704. *mense Januario.* Ita Cantelm. Probat autem Quart. Sententiam hanc ex Rubr. Missal. *p.* 2. *tit.* 3. *n.* 5. ubi habetur: *Si alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit, ac* NB. *benedicendo totam manum dextram extendit omnibus illius digitis pariter junctis & extensis &c.* quod non fieret, si pars Crucis transversa manu transversâ fieret: cùm sic parvum digitum non verteret rei benedicendæ seu Oblatis, sed parti laterali Altaris, quod est contra Rubricam. Deinde nulla est necessitas cogens ad contrarium; cùm hoc modo non destruatur, sed perfecta servetur forma Crucis: quia lineas Crucis non imaginandum est, esse formandas acumine totius manûs, seu longitudine illius, sed extremitate minoris digiti, ut colligitur ex Rubr. cit. Ita Castald. Quart. citt. Cùm igitur forma Crucis Quarti, Cantelm. &c. decentior, Rubricæ conformior (nam hæc loc. cit. vult, ut *benedicendo*, hoc est, Crucis signum super aliquam rem efformando, *tota manus dextra extendatur omnibus illius digitîs pariter junctîs & extensîs*) & menti S. R. Congregat. quæ 4. *Aug.* 1663. decrevit, ut Cruces, quæ fiunt à Sacerdote super Oblata, fiant non manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis,

ut notat Pitton. *num.* 234. conveniens existat, ea omnino servanda, & benedicendo observanda est.

§. Contra Rubricam hanc offendunt: 1. Qui Orationem *Offerimus &c.* incipiunt, antequam venerint ad medium Altaris. 2. Qui dictam Orationem *Offerimus &c.* non dicunt integram oculis ad Deum, seu Crucifixum defixis, & intentis. Lohner. Cantelm. *c.* 6. §. 3. *num.* 3. 3. Qui signum Crucis cum Calice unâ tantùm manu faciunt. Gerlac. cit. §. 14. 4. Qui factô signô Crucis cum Calice ad verbum *Ascendat*, *Amen.* eundem altiùs elevant; aut cum Calice circulum faciunt, & tunc primùm eum super Corporale deponunt. 5. Qui dicunt Orationem, *In Spiritu humilitatis &c.* vel necdum, vel omnino non junctîs super Altare manibûs. Rubr. Cantelm. *c.* 10. §. 13. 6. Qui post dictum *Veni Sanctificator &c.* antequam signent super Oblata communiter, manus ante pectus non jungunt; vel alia ibidem notata non observant. Rubr.

VI. *Tum junctîs ante pectus manibûs, accedit*, factâ priùs Cruci debitâ reverentiâ (Lohner hîc, *litt. D.*) *ad cornu Epistolæ, ubi stans Ministrô aquam fundente lavat manus, id*

est,

est, extremitates digitorum pollicis & indicis, dicens Psalmum:

Lavabo inter innocentes manus meas: & circumdabo Altare tuum Domine.

Ut audiam vocem laudis &c.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio &c.

In hoc Psalm. ℣. Gloria Patri &c. *prætermittitur in Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore à Dominica de Passione usque ad Sabbatum sanctum exclusivè.* Neque in Missis Defunctorum illius locô dicendus est ℣. *Requiem æternam &c.* Gav. hîc, *litt. V.*

Cùm verò Celebrans dicit ℣. *Gloria Patri &c.* caput inclinat ad Crucem, licèt sit in cornu Epistolæ, vel in medio Altaris. Ita autem lentè prosequatur Versus Psalmi *Lavabo*, ut eos cum abstersione finiat. Non dicat autem præfatum ℣. *Gloria Patri &c.* nisi in cornu Epistolæ, aut in medio Altaris, nequaquam in via. Gav. Gerlac. hîc §. 19. Lohner. Quart. *p.* 2. *tit.* 6. *sect.* 3. *dub.* 2. Dum verò lavat manus, advertat, ut juxta Rubricam extremitates tantùm digitorum pollicis & indicis, non

autem integras manus lavet; neque Purificatoriô, sed manutergiô à Ministro sibi porrectô (vel in hujus defectu, propriô Strophiolô) non quidem in Altari, seu super Calicem, sed aliquo loco congruo conservatô, tergat. Gerlac. cit. §. 17. Nec aliquid aliud, e. g. os, nasus, vel ipsa facies eodem abstergendum, vel purgandum est.

VII. *Celebrans lotîs manibûs eas tergit* (ut dictum est) *& illîs ante pectus junctîs revertitur ad medium altaris, ubi* absque facta Cruci reverentiâ, nisi fortè ratione *Gloria Patri &c.* in medio dicendi (Cantelm. *c.* 1. *§.* 5.) *stans oculósque ad Deum elevans, & statim demittens, manibûs junctîs super Altare* (ut suprà *tit.* 4. *num.* 1.) *aliquantulum*, seu mediocriter *inclinatus dicit secretò Orationem:*

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis, & ascensionis JESU Christi Domini nostri &c.

In hac Oratione, cùm SS. Nomina *JEsu*, & *Mariæ*, aut Sanctorum, quorum Festum, aut commemoratio eo die agitur, proferuntur, non facit novam capi-

tis

tis inclinationem, cùm priùs illud jam inclinatum habeat. Lohner *p. 6. tit. 7. num.7. litt. K.* Idem intellige in aliis similibus occasionibus, quando fit mediocris, vel profunda inclinatio; nam in his ad Nomina *Jesus &c.* nulla fit alia capitis inclinatio. Cantelm. *c.* 10. §. 13. *num.* 2.

Dicta *Oratione*, Suscipe sancta Trinitas &c. *manibûs hinc inde extensîs, & super Altare* extra Corporale *positîs, osculatur illud in medio: tum junctîs manibûs ante pectus, demissísque oculis ad terram, à sinistra manu ad dextram vertit se ad populum* (uti ad *Dominus vobiscum*) *& versùs eum extendens, & jungens manus, dicit voce aliquantulùm elata*, id est mediocri (Cantelm. *c.* 9. *§.* 3. Lohner *p.* 6. *tit.* 7. *litt. M.*)

Orate Fratres:

Et secretò prosequens:

Ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Perficit circulum, revertens junctîs manibûs ante pectus à manu dextra ad medium Altaris, ubi tamen non facit Cruci reverentiam; cùm non discesserit verè à medio, sed solùm se con-

converterit. Lohner cit. *litt. O. Responso à Ministro, vel à circumstantibus:*

Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus &c.

Submissa voce dicit:

Amen.

* Si non adsit, qui respondeat: *Suscipiat Dominus &c.* dicit Sacerdos idem *per se ipsum*, mutato ly *Sacrificium de manibus tuis*, in *de manibus meis*. Sed in hoc casu priùs prosequi, & absolvere debet suam propriam Orationem: *Ut meum, ac vestrum Sacrificium &c.* & tunc primùm inchoare Orationem: *Suscipiat Dominus &c.* Lohner cit. *litt. Q.*

Tunc *manibûs ante pectus extensîs, ut fit ad Orationem* (vide suprà, *tit. 5. num. 2. ℣. Contra hactenus.*) *stans in medio Altaris versùs librum* (scilicet, ut commodiùs legere possit secretas Orationes; nam si sine omni, vel certè non nisi modica conversione id facere possit, sine scrupulo omitti poterit ista corporis ad librum conversio, Lohner cit. *litt. S.*) *dicit absolutè sine* Oremus, *& sine alia interpositione Orationem, vel Orationes secretas:*

Secreta.

Secreta.

Muneribus nostris, quæsumus Domine, precibúsque susceptis: & cælestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum nostrum &c.

Cùm dicit:

Per Dominum nostrum,

Jungit manus: cùm dicit:

IESUM Christum,

Caput inclinat versùs Crucem; *quod facit in prima Oratione, & in ultima, si plures sint dicenda.* Si Orationes secretæ habeant conclusionem, *Qui vivis &c.* vel, *Qui tecum vivit &c.* servetur, quod dictum est suprà *tit. 5. num. 1. ℣. Pro necessaria.*

Notandum etiam est, quod monet Gerlac. *p. 2. tit. 7. §. 22.* videlicet: Conclusio primæ Orationis dicitur à Celebrante integrè, sicut in prima Oratione ante Epistolam factum est, & sibi respondet, *Amen*; nec subjungit *Oremus*, sed absolutè alias Orationes prosequitur, si dicendæ sint, cum hoc discrimine (ut ait Lohner *p. 6. tit. 7. num. 7. litt. X.*) ut in prima Oratione clausulam integram secretò absolvat, in

in postrema verò tantùm usque ad illa verba, *Per omnia sæcula sæculorum*, exclusivè, prosequatur secretam recitationem.

§. Contra hanc Rubricam deficiunt: 1. Qui Orationem, *Suscipe sancta Trinitas &c.* incipiunt, antequam pervenerint ad medium Altaris; aut, qui ad ejus initium oculos ad Deum, seu Crucifixum non elevant. 2. Qui ad SS. nomina *Jesu*, & *Maria &c.* in prædicta Oratione, prout & in similibus casibus, quando fit mediocris, vel profunda inclinatio, capitis aliam inclinationem superaddunt. Cantelm. *cap.* 10. §. 13. *num.* 2. 3. Qui *Orate fratres*, clara voce proclamant; vel post illud media voce dictum, eadem voce *ut meum, ac vestrum &c.* prosequuntur; vel, priusquàm Minister totam Orationem *Suscipiat &c.* finierit, *Amen* respondent. Gerlac. hîc, §. 20. 4. Qui primæ Orationi secretæ præmittunt *Oremus*, contra dispositionem Rubricæ volentis, ut *absolutè, sine Oremus, & sine alia interpositione Oratio, vel Orationes secretæ dicantur.*

VIII. *Perventô autem in conclusione ultimæ Secretæ ad verba illa*, Per omnia sæcula sæculorum, *exclusivè, Sacerdos stans in medio Altaris, depositîs super eo manibûs hinc inde extensîs,*

tensis, dicit convenienti & intelligibili voce Præfationem.

Præfatio.

S. Per omnia sæcula sæculorum.
R. Amen.
S. Dominus vobiscum.
R. Et cum Spiritu tuo.
S. Sursum corda.
R. Habemus ad Dominum.
S. Gratias agamus Domino DEO nostro.
R. Dignum & justum est.
S. Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater &c.

In Præfatione *cùm dicit*, Sursum corda, *elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus, ita ut palma unius manûs respiciat alteram* (ut *tit. 5. n. 3. ℣. contra hactenùs.* dictum, quod semper observandum) *Cùm dicit*: Gratias agamus Domino, *jungit manus*: *cùm dicit*, Deo nostro, *oculos elevat*, móxque demittit (Cantelm. *c. 5. §. 1.*) *& statim Cruci caput inclinat. Responso* Dignum & justum

 est,

est, *elevatis & extensis ut prius manibus*, erectus *prosequitur Præfationem propriam, vel communem*, ut tempus requirit. Si in ea occurrat nomen *Jesu*, vel *Mariæ*, caput quidem inclinat, sed ad *primum* versus Crucem; ad *secundum* verò versus librum. Item, si occurat, *Jesum Christum Dominum nostrum*, vel, *Per Christum Dominum nostrum &c.* non jungit manus (Gav. hîc, *litt. D.*) nec ad *Per Christum Dominum &c.* si nomen *JESU* non exprimitur, caput inclinat. Quænam autem Præfatio dicenda sit, vide Rubr. Missal. *p. 1. tit. 12.* item Ord. Missæ, *de Præfationibus. Cùm dicit:*

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. Pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ, Hosanna in excelsis.

junctis ante pectus manibus (non super Altare positis, ut non pauci faciunt contra hunc clarum textum, Lohner *part. 6. tit. 7. n. 8. litt. B.*) *&* mediocriter (Lohner *cit. litt. C.*) *inclinatus voce mediocri prosequitur, ministro interim parvam campanulam*, vel tintinnabulum, *pulsante*; & hoc quidem ter cum aliqua distinctione, ut vult Gav. hîc, *litt. E.* licèt reprehendi non possint, qui uno continuo pulsu campanulam pulsant. Lohner *cit. litt. D. Cùm dicit:* Be-

Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

Erigit se, & signum Crucis sibi producit à fronte ad pectus, non tamen caput inclinat ad *Hosanna in Excelsis.*

§. Defectus contra hactenus dicta sunt. 1. Confundere ceremoniam ad *Sursum corda*, & *Gratias agamus Domino &c.* in Præfatione, quæ à multis non bene fit contra Rubricam, quæ præscribit elevationem manuum usque ad pectus ad præfatum *Sursum corda*, palmîs manuum non conversîs deorsum, sed tali modo, ut una respiciat alteram: item, ad *Gratias agamus Domino*, jungere manus (non autem simul inclinare caput, ut nonnulli erroneè faciunt) & ad verba, *Deo nostro*, elevare oculos, móxque illos demittere, & inclinare caput, prout ex dictis patet. 2. Est error, facere inclinationem simplicem, vel aliam capitis in decursu Præfationis ad illa verba: *Per Christum Dominum nostrum*, adjungendo etiam conjunctionem manuum, ut practicant aliqui. Cantelm. *c.* 10. §. 4. *num.* 1. Item est error, sive caput solum sine conjunctione manuum ad dicta verba *Per Christum Dominum &c.* inclines, sive sine capitis inclinatione manus conjungas; cùm Rubrica expresse dicat: *elevatis & extensis, ut*

prius

priùs, manibûs prosequitur Præfationem: in quibus verbis nulla de manuum conjunctione, vel capitis inclinatione mentio continetur. 3. Est error, dum *Sanctus* dicitur, pectus percutere. Gerlac. hîc, §. 24. Item, tenere manus junctas super Altare ad *Sanctus*; cùm debeant teneri junctæ ante pectus juxta Rubricam, usque ad *Benedictus, qui venit* &c. exclusivè. Item, erroneum est, per totum *Sanctus* cum *Benedictus &c.* inclusivè, stare inclinando se profundè, vel aliter, & ad signum Crucis, quo se signat ad *Benedictus*, propriam manum osculari. Rubr. Cantelm. cit. *num.* 2. Lohner hîc, *part.* 6. *litt. B.*

TITULUS VIII.

De Canone Missæ usque ad Consecrationem.

I.

F*Inita Præfatione, ut suprà, Sacerdos stans ante medium Altaris, versus ad illud, aliquantulùm elevat manus*, non tamen ultra humeros; nec demittendo manus, & è profundo sursum elevando (Lohner *part.* 6. hîc, *litt. E.*) *oculísque elevatîs ad*

Deum,

Deum, & sine mora devotè demissis, ac manibûs junctis & super Altare positis, profundè inclinatus incipit Canonem, secretò dicens:

Te igitur, clementissime Pater, per JESUM Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus.

Quoad hanc Rubricam quæstio non parùm controversa existit: utrùm videlicet prima verba Canonis *Te igitur &c.* debeant proferri simul cum gestibus elevationis manuum, & oculorum &c. vel econtrà post gestus prædictos. Gav. *par.* 2. *tit.* 8. *num.* 1. & quotquot cum eo sentiunt, dicunt: *Ad primum gestum, prima quoque verba,* Te igitur, *sunt pronuntianda: neque dari debet gestus sine voce, qui alioquin esset inconcinnus &c.* hæc Gav. Nihilominus Quart. *p.* 2. *tit.* 8. *sect.* 1. *dub.* 1. solvens Gavanti rationes, censet absolutè veram sententiam, quæ docet, omnes gestus seu actus debere præcedere, non comitari prima verba Canonis, *Te igitur &c.* adeóque incipienda esse dicta verba immediatè post omnes gestus præscriptos, id est, manibûs super Altare positis, qui est ultimus gestus. Ita Quart. citans Castald. *lib* 2. *sect.* 8. *cap.* 6. *num.* 1. Bonamic. & alios. Et

hæc

hæc sententia manifestè patere videtur ex ipsis Rubricæ verbis, dicentis: *manibûs junctîs, & super Altare positîs, profundè inclinatus incipit Canonem.* Item in Ord. Missæ: *profundè inclinatus ante Altare, manibûs super eo positîs, dicit:* Te igitur, &c. Nec movet ratio Gavanti, quòd *dari non debeat gestus sine voce:* Quia (inquit Quart.) hoc est apertè falsum; cùm in Missa sæpiùs præscribantur gestus seu actiones sine voce aut verbis, quæ illas comitentur, e. g. genuflexiones, elevatio Hostiæ & Calicis, &c, in Missa solemni thurificatio prima Altaris, benedictio Subdiaconi post Epistolam (nam Sacerdos *facit super eundem signum Crucis nihil dicens*, Gerlac. *part.* 4. *tit.* 2. *num.* 30.) &c. Cùm igitur Quarti sententia Rubricæ conformis censeatur, ea non immeritò, saltem ut probabilior, tenetur, & practicatur.

Cùm dicit:

Uti accepta habeas, & benedicas,

priùs, hoc est, antequam dicat hæc verba (Lohner *p.* 6. *tit.* 14. *num.* 66.) *osculatur Altare in medio: deinde erigit se, & stat junctîs manibûs ante pectus. Cùm dicit:*

Hæc ✝ dona, hæc ✝ munera, hæc ✝ sancta Sacrificia illibata,

Sini-

Sinistrâ super Altare positâ, *ter manu dextra signat communiter super Hostiam, & Calicem*, ut suprà, *tit. 7. num. 5. ℣. Ad formandas*, & *seq.* dictum. *Deinde extensis manibus ante pectus prosequitur*:

In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica: quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, unà cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ Fidei Cultoribus.

II. *Ubi dicit*, unà cum Famulo tuo Papa nostro N. *exprimit nomen Papæ viventis*, & caput ad librum inclinat. Gav. hîc *litt. M.* Lohner, Cantelm. &c. *Sede autem vacante verba prædicta omittuntur. Ubi dicitur*, & Antistite nostro N. *specificatur* absque capitis inclinatione (Cantelm. cit. Gav. Quart.) *nomen Patriarchæ, Archi-Episcopi* (intellige Patriarchæ, vel Archi-Episcopi, qui simul est Episcopus illius loci, in quo celebratur, non ille, qui est distinctus ab Ordinario loci, Lohner hîc, *litt. G.*) *vel Episcopi Ordinarii in propria Diœcesi*, hoc est, Episco-

pi

pi loci, in quo celebratur, non autem illius, cui subjectus est ipse Celebrans (Gav. Lohn. Gerlac. hîc, §. 5. Arnaud. &c.) *& non alterius Superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus; vel sub alterius Episcopi jurisdictione. Si verò Episcopus Ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vitâ functus, prædicta verba omittuntur: quæ etiam omittuntur ab iis, qui Romæ celebrant;* quia ipsemet Papa est Episcopus Romanus, & totius orbis (Quart. hic, Lohner *litt. H.*) *& continuant omnes, ut sequitur*, Et omnibus orthodoxis &c.

§. Contra hactenùs positas Canonis Rubricas plures committi possunt errores: 1. Errant, qui non dicunt Canonem integrum; cùm tamen hujus tanta sit obligatio, ut teste Suarez *d.* 83. *a.* 3. non desint, qui putent, peccare mortaliter eum, qui vel unicum verbum culpabiliter omittit. Etsi verò ipse cum Filliuc. & aliis communiter id neget, omnes tamen fatentur, faciliùs in hac parte, quàm in aliis peccari per omissionem. Lohn. *p.* 2. *t.* 21. *n.* 1. Attamen non est peccatum mortale (inquit Pasqual. de Miss. Sacrific. *tract.* 1, *q.* 202. *num.* 9.) omittere illas speciales clausulas, quæ in Oratione, *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem*, adduntur in quibusdam

dam Festivitatibus. Et ita notant Suarez *Disp.* 83. de Evchar. *sect.* 3. ℣. *In quo est.* Filliuc. *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 155. Lugo *lib.* 7. de Sacram. *c.* 9. *q.* 2. *n.* 21. Quart. in Rubr. Missal. in *q. proœm. sect.* 3. *punct.* 3. ℣. *Dico quintò.* Non quidem ratione parvitatis materiæ, sed quia sunt partes extraordinariæ Missæ, quæ sunt superaccessoriæ integritati ordinariæ Canonis. Hæc Pasqual. cit. 2. Qui non omnes 5. actiones à Rubrica præscriptas observant, sed præcipitantes Cæremonias, vel oculos non elevant, manus nec jungunt, nec super Altare ponunt; vel osculum Altaris non expectant, vel illud à latere osculantur; cùm tamen id fieri debeat in medio, & quidem semper, quando Altare osculari debet. Cantelm. *c.* 10. *§.* 15. 3. Qui osculatô Altarî non jungunt manus, antequam signent Oblata; quam junctionem manuum ante quamvis benedictionem adhibendam, & à Rubricis sæpiùs præscriptam, etiam aliàs malè omittunt. Gerlac. *part.* 2. *tit.* 8. *§.* 3. Hoc tamen intelligendum, nisi altera manus in tenenda Hostia, aut Calice sit occupata. Lohn. *part.* 2. *tit.* 32. *§.* 2. ℣. *Manus junctæ tenentur. num.* 19. 4. Qui in Canone nominant Antistitem suum Ordinarium in aliena Diœcesi: ut si Sacerdos Diœcesis Fri-

singensis Coloniam profectus, ibidem celebret, atque nominet Episcopum suum Frisingensem; cùm tamen debeat nominare Coloniensem. 5. Qui in locis, quæ nullius sunt Diœcesis, vel omittunt hæc verba, *& Antistite nostro N.* vel nominant Abbatem exemptum loci, cùm debeant nominare Episcopum viciniorem, ad quem pro Ordinatione eunt. Gav. hîc, *litt. N.* Gerlac. cit. §. 5. Nihilominùs Quart. *p. 2. tit. 8. sect. 1. dub. 2.* ob plures ibidem adductas rationes putat, in locis, quæ sunt nullius Diœcesis, seu exemptîs à Jurisdictione Episcopi, in quibus præesse solet Abbas exemptus habens Jurisdictionem quasi Episcopalem, omittenda esse illa verba: *Et Antistite nostro N.* quia secundùm Rubricam specificari debet nomen Episcopi Ordinarii in propria Diœcesi: sed locus, in quo Missa celebratur in casu posito, non est propria Diœcesis Episcopi vicinioris; cùm aliàs non verè esset nullius Diœcesis; ergo. Idem tenet Bauldr. *part. 3.* hîc, *num. 2.* 6. Regulares errant, qui in Canone nominant Superiores suos, ut Antistites, contra prohibitionem Sac. Rit. Congreg. 12. *Novemb.* 1615. Gav. Arnaud.

Cæterùm occasione dictorum dubitatur, & quæritur, utrùm in locis à Juris-

dictio-

diction Episcopali exemptis, in quibus Archi-Episcopus, vel Episcopus præest ut Præpositus, is ipse nominari possit in verbis *Et Antistite nostro N.* Resp. conformiter dictis, & Rubricæ, negativè. Ratio est: Quia Episcopus &c. sub ratione Præpositi non habet rationem *Episcopi Ordinarii in propria Diœcesi* quoad loca exempta, quibus præest; aliàs enim eo ipso non essent nullius Diœcesis, sive exempta à Jurisdictione Episcopali. Quare hîc etiam applicanda sunt ea, quæ immediatè dicta sunt ℣. *Contra hactenus. num. 5.*

III. *Cùm dicit* submissâ, non altâ, vel media voce (Gav. *part.* 1. *tit.* 16. *num.* 2. Arnaud. Gerlac. Lohner hîc, *litt. I.*)

Memento Domine Famulorum, Famularúmque tuarum, N. & N.

Elevans & jungens manus usque ad faciem, vel pectus, sic junctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulum capite, non oculîs elevatîs versùs Crucem, ut multi faciunt; nec iisdem clausis, nisi fortè ad majorem animi compositionem (Gav. hîc, *litt.* O. Lohner *part.* 2. *tit.* 21. *num.* 4. Gerlac. *§.* 7. *&c.*) *faciens commemorationem vivorum Christi Fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult,*

ſecretò commemoret: non tamen neceſſe eſt, ea exprimere, ſed mente tantùm eorum memoriam habeat. Poteſt etiam Celebrans, ſi pro pluribus orare intendit, ne circumſtantibus ſit moroſus, ante Miſſam in animo proponere ſibi omnes illos tam vivos, quàm defunctos, pro quibus in ipſa Miſſa orare intendit, & hoc loco generaliter unico contextu ipſorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Miſſam orare propoſuit in Miſſa: dummodo, ad Fidelium ſaltem ædificationem, obſervet, quod Gav. hoc loco, *litt. P.* ℣. *Notat præterea.* monet, videlicet: Memento, ne *Memento* in Miſſa fiat in momento, ſed cum aliqua mora.

§. Offendunt contra hanc Rubricam: 1. Qui verba *Memento Domine Famulorum &c.* vel mediâ, vel omnino clara voce proclamant; cùm tamen in Canone vox non elevanda ſit, niſi ad tria verba, *Nobis quoque peccatoribus.* ùt ex Rubrica conſtat. Gav. *part.* 1. *tit.* 16. *num.* 2. Gerlac. hîc, *§.* 6. Lohner *part.* 6. hîc, *litt. I.* 2. Qui oculos versùs Crucem elevant, aut omnino in SS. Sacramentum in Altari expoſitum defigunt. Quare in utroque *Memento*, capitis & oculorum demiſſio attendi debet. Gerlac. *§.* 7. Gav. hîc, *litt. O.* Bauldr. Arnaud. &c. Lohner *part.* 2. *tit.* 21. *num.* 4. Qualiter autem hæc commemoratio facienda

cienda sit, poterit videri apud Lohner citatum, *num.* 5. Gav. *part.* 2. *tit.* 8. *num.* 3. *litt. P.* per totum. Arnaud. hîc, *num.* 6. *& seqq.* & alios.

IV. *Comemoratione Vivorum facta, demissîs* (puta, si ante faciem junctas habuit; non autem, si ante pectus tantùm, sicut Rubricæ liberum relinquunt, eas junxit, Lohner *p.* 6. hîc, *litt. M.*) *& extensis, ut priùs, manibus continuat:*

Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio &c.

Similiter stans prosequitur:

Infra Actionem.

Communicantes, & memoriam venerantes, in primis gloriosæ &c.

Ut in ordine Missæ habetur, nisi dicendm sit proprium, ut pro festo Nativitatis Domini, &c. prout in propriis locis notatur, & videatur. Cùm dicit, *Mariæ*, caput versùs librum inclinat (Quart. hîc, ℣, *Secundò.*) *Cùm dicit*, JESU Christi, *caput Cruci inclinat.* Nomina Sanctorum in hac Oratione, sive *Comunicantes*, expressa quod atti-

net, ad ea diligenter attendendum est, ut, quando Festivus illorum dies celebratur, ad eorum nomen pronuntiatum caput versùs librum inclinetur. Lohner *p.* 6. *tit.* 8. *n.* 4. *litt. N.* Vide etiam suprà *tit.* 5. *n.* 2. & hoc fit, etiamsi in occurrentia Festi dupl. 2. classis nulla de eis fiat commemoratio, e. g. infra octavam dictorum Sanctorum. Sed quid, si Festum alicujus Sancti in Canone expressi ad alium diem transferendum, uti Festum S. Lini, Clementis &c. occurrens in Dominica? Resp. in simili casu prima vice, sive illo die, quo ejusmodi Festum incidit, capitis inclinationem omittendam, & solummodò eo die, quo tale Festum translatum celebratur, faciendam esse. Ratio est: quia, cùm tota Chori, & Officii Solemnitas transfertur, etiam Festum ipsum transferendum, in die proprio quasi non occurrens, censendum est.

Oratione, *Communicantes*, absolutâ, *in conclusione, quando dicit:*

Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

jungit manus. Cùm dicit:

Hanc

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ &c. & in Electorum tuorum jubeas grege numerari.

Expandit manus simul super Oblata, *ita*, *ut palmæ sint apertæ versùs*, *ac supra Calicem & Hostiam*, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis supra, non verò infra manus positô (S. R. Congr. 4. *Aug.* 1663.) *quas sic tenet usque ad illa verba:*

Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Tunc enim (intellige, antequàm ea proferat, ut patet ex Ord. Missæ) *jungit manus*, *& sic*, junctîs manibûs, *prosequitur:*

Quam oblationem tu DEUS in omnibus quæsumus,

Et cùm dicit:

Bene ✝ dictam, adscri ✝ ptam, ra ✝ tam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris:

Communiter (ùt supra, *tit.* 7. *num.* 5.) *signat ter super Hostiam*, *& Calicem simul*, sinistrâ super Corporale positâ: *deinde cùm dicit:*

Ut nobis Cor ✝ pus,

Separatim, signat semel super Hostiam tantùm, ita tamen, ut hæc Crucis formatio æqualiter altè fiat, sicut priores tres communes formationes (Lohner *part. 6. tit. 8. num. 4. litt. P.*)

Et San ✝ guis

Semel signat *super Calicem tantùm: deinde elevans & jungens manus ante pectus, prosequitur:*

Fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri JESU Christi.

Et ad nomen JESU *inclinans caput Cruci, extergit, si opus fuerit, pollices & indices super Corporale, & dicit secretò, ut priùs:*

Qui pridie quàm pateretur,

Et accipiens pollice & indice dextræ manûs Hostiam, ita tamen, ut, quantùm opus fuerit, priùs indice sinistræ manûs oram ipsius aliquantulùm premat super Corporale, ut faciliùs eam dextrâ capere valeat (Gerlac. hîc, *§. 14.*) *& eam cum illis, ac indice & pollice sinistræ manûs tenens* (extensis & simul junctis aliis digitis, sicut quandò junguntur post consecrationem, Cantelm. *cap. 10. §. 19.* manibúsque non super Altare positis, sed in aëre suspensis, ne tamen à populo Hostia videatur, Gerlac. hîc, §. 14.

Lohner

Lohner cit. *litt. R.*) *ſtans erectus ante medium Altaris, dicit:*

Accepit panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas,

Elevánsque ad Cælum oculos, & ſtatim demittens, dicit;

Et elevatîs oculîs in cælum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem,

Capútque aliquantulùm inclinans, dicit;

Tibi gratias agens,

Et tenens Hoſtiam inter pollicem & indicem ſiniſtræ manûs, iterum, ut priùs, in aëre ſuſpenſæ (Lohner hîc, *litt. S.*) *dextrâ*, omnibûs illius digitîs extenſis & junctîs, *producit ſignum Crucis ſuper eam, dicens;*

Bene ✝ dixit,

Et adhuc erectus proſequitur verba ſequentia,

Fregit, dedítque Diſcipulis ſuis dicens, Accipite, & manducate ex hoc omnes.

§. Rubricæ huic contrarii ſunt, & errant: 1. Qui commemoratione vivorum factâ demittentes manus, & eas extendentes; oculos ad cælum elevant, capútque

Cruci inclinant. 2. Qui in fine *Comunicantes*, ad *Per eundem Christum &c.* junctioni manuum capitis quoque inclinationem supperaddunt. Quod idem per totum Canonem intellige, nisi aliter notetur. 3. Qui ad *Hanc igitur Oblationem*, manus non simul supra Calicem & Hostiam tenent: vel (post Decretum citatum) pollicem dextrum super sinistrum infra, non supra manus ponunt. 4. Qui tertia Cruce ad ly *ratam* factâ, interim, donec reliqua, *rationabilem, acceptabilémque &c.* absolverint, manus jungunt. Gerlac. hîc, §. 12. 5. Qui Cruces communes non æquali altitudine formant, sed versùs Hostiam deprimunt. Gav. Bauldr. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. Arnaud. *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 7. Cantelm. &c. 6. Qui ad *Fiat dilectissimi Filii &c.* manus non jungunt; vel ad nomen *Jesu* caput non inclinant; aut aliàs Rubricas & actiones, singulis quasi verbis accommodatas confundunt, vel omittunt. 7. Qui tenent Hostiam sola manu sinistra, dextrâ extensâ super Corporale ad *Qui pridie, quàm pateretur &c.* usque dum fiat Crux super dictam Hostiam in loco, ut eam teneant utraque manu per totum illud tempus, dum dicitur: *accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas &c.* Cantelm. *cap.* 10. §. 16.

V. Si

V. *Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis, antequam accipiat Hostiam, discooperit manu dextra Calicem, seu vas aliarum Hostiarum. Cùm autem finierit supradicta verba, cubitis* aliquantulùm inflexîs (Cantelm.) *super Altare positîs, stans capite inclinato, distinctè, reverenter, & secretò profert verba Consecrationis super Hostiam, & simul super omnes, si plures sint consecranda, & Hostiam suam pollicibus & indicibus tantùm tenens, dicit:*

Hoc est enim Corpus meum.

Quibûs prolatîs, Celebrans tenet Hostiam inter pollices & indices prædictos super Altare, reliquis manuum digitis extensis, & simul junctis (& Hostiis, si plures sint consecratæ, in loco, in quo à principio Missæ positæ sunt super Corporali, vel in alio vase, aut Calice dimissis) genuflexus unico genu, nimirùm dextro (quod & in sequentibus nota) eóque usque ad terram, manibûs Hostiam tenentibûs super Altare retentîs, non autem cubitis super Altare positîs (Gav. hîc, *litt. D.* Gerlac. hîc, *§.* 21. Bauldr. Lohner &c.) *eam adorat.* Genuflexioni tamen nullam superaddit aliam capitis inclinationem. Cantelm. *cap.* 10. *§.* 18. *n.* 3. *Tunc se erigens, quantùm comodè potest, elevat in altum Hostiam* per lineam rectam,

ctam, non supra caput, vel extra Corporale (Cantelm. c. 10. §. 19.) *& intentis in eam oculis* (*quod & in elevatione Calicis facit*) *populo reverenter ostendit adorandam*: *& mox* sinistrâ super Corporale positâ (Bauldr.) *sola manu dextra ipsam* per eandem lineam rectam demissam (Cantelm.) absque osculo *reverenter reponit super Corporale in eodem loco, unde eam levavit, & deinceps pollices & indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere, vel tractare debet usque ad ablutionem digitorum post Communionem.*

Ad hanc Rubricam bene exercendam, optimam tradit Praxin Card. Cantelm. in Cæremon. Miss. privat. Romæ impresso 1704. *cap.* 10. §. 19. dicens: Ante Consecrationem inclinat se mediocriter (subintellige, ubi non habetur proportio debita Celebrantem inter & Altare, Bauld. *p.* 3. *c.* 5. *num.* 4.) & positis situ naturali brachiis super Altare usque ad cubitos (aliquantulùm inflexos, intellige, non autem hos solùm impositos Altari, ut aliqui faciunt, brachiis elevatis, & versùs cælum directis) positisque pedibus æqualiter in terra absque elevatione dextri, secretè, reverenter, & distinctè profert verba Consecrationis; ubi notetur, ne ad quodvis verbum moveatur

caput,

caput, quod nonnulli malè faciunt Conſecratâ Hoſtiâ Celebrans retrahit cubitos extra Altare, & ponit manus tantùm versùs extremitates Corporalis, quatenùs commodiùs faciat genuflexionem ſolo genu dextero, usque dum tangat ſuppedaneum, & hanc genuflexionem facit tenens Hoſtiam intra indices & pollices, alios autem digitos, ut ſuprà, extenſos, & conjunctos, absque inclinatione capitis ultra genuflexionem. Facta genuflexione, erectus in pedibus, elevat ſucceſſivè Hoſtiam eatènùs, quatenùs poſſit videri, & adorari à circumſtantibus, tenens in illa ſemper defixos oculos, usque dum illam reponit ſuper Corporale; & advertat hìc Sacerdos, ut elevet Hoſtiam per lineam rectam, & non ſupra caput, vel extra Corporale. Elevatâ Hoſtiâ, absque eo, ut tunc dicat: *Adoramus te Chriſte*, vel aliam Orationem vocalem (quamvis pii actus, e.g. Fidei, Spei, &c. mentaliter fieri optimè poſſint) eam demittens per eandem lineam ſupra Corporale in primum ſuum locum, denuò adorat genuflectens, ut ſuprà. Hæc ille.

§. Contra poſitam Rubricam errant: 1. Qui absque intentione debita verba Conſecrationis ſimulatoriè, & materialiter tantùm pronuntiant: de quo, prout & aliis pluri-

pluribus, Theologi. 2. Qui vel afflant, vel barbâ, aut ore contingunt Hostiam (vel Calicem, & in eundem barbam immittunt) vel caput ad singula Consecrationis verba movent, vel cum eo Hostiam signant. Bauldr. *p.* 3. *tit.* 8. *n.* 5. 3. Qui post Consecrationem, vel elevationem quandocunque Hostiam osculantur. Gerlac. hîc, §. 16. Bauldr. cit. Lohner *part.* 2. *tit.* 21. *n.* 9. 4. Qui sub Consecratione Hostiæ, vel Calicis, pedem dextrum supra sinistrum inclinatum tenent. Cantelm. *c.* 10. §. 17. 5. Qui in actu adorationis inclinant caput, cùm sufficiat genuflexio. Cantelm. cit. §. 18. *n.* 3. 6. Qui in adoratione Hostiæ ad illam elevandam tenent brachia eodem modo, sicut in actu Consecrationis, in loco, ut solùm extremitates manuum ponantur super Altare, in tantùm, ut & Hostia consecrata, & manus eam tenentes remaneant intra Corporale. Idem, *n.* 2. 7. Qui in elevatione Hostiæ extendunt illam directè supra caput, & extra Corporale, non respiciendo in illam; quod tamen expresse præscribit Rubrica, *etiam in elevatione Calicis.* Idem *n.* 4. 8. Qui tenent elevatam Hostiam diutiùs, quàm oportet; etsi breviter eam elevatam tenere pro adoratione, & devotione populi, non

non videatur repugnare Rubricæ: cùm ideò juxta Rubricam elevetur, ibi: *ostendit adorandam.* 9. Qui elevant unà cum Hostia etiam Particulas consecratas. Cantelm. cit. *n.* 5. 10 Qui Hostiam (idem de Calice intellige) quando eam populo adorandam ostendunt, in utrumque latus convertunt, aut cum illa Crucem effingunt, cùm tamen rectam & imotam eam in alto aliquantulùm retentam, mox iterum reverenter reponere deberent. Gerlac. hîc, §. 18.

VI. *Repositâ Hostiâ consecratâ super Corporale, genuflexus ipsam veneratur* manibûs super Corporale hinc inde extensîs, ut suprà, *t.* 4. *n.* 1. ℣. *Porrò, quoniam.* dictum, ac etiam in sequentibus observandum est, ita tamen, ut genuflexiones ad terram usque cum exemplari, ac debita gravitate fiant. Cantelm. *cap.* 1. §. 6. *Si adsit vas aliarum Hostiarum, Patenâ, vel Pallâ cooperit, ùt suprà. Interim dum Celebrans elevat Hostiam, accensô priùs intortitiô (quod non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa) minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores Planetæ, ne ipsum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum, quod & facit in elevatione Calicis: & manu dextra pulsat campanulam,* seu

tin-

tintinabulum, *ter ad unamquamque elevationem* (videlicet, cùm Sacerdos adorat, cùm elevat, & cùm reponit Hostiam, seu Calicem, Gav. hîc, *litt. I.*) *vel continuatè, quousque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale, & similiter postmodùm ad elevationem Calicis.*

VII. *Celebrans adoratô Sacramentô surgit, &* Pallam extra Corporale ad partem Epistolæ supra velum Calicis plicatum deponens (Cantelm. *cap.* 10. §. 19. Lohner *part.* 2. *tit.* 18. *num.* 3.) *discooperit Calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos; quod semper facit, si aliquod fragmentum digitis adhæreat, & stans erectus, dicit:*

Simili modo postquam cœnatum est,

Et ambabus manibus accipiens Calicem juxta nodum infra cuppam (hoc est, capit nodum Calicis, qui est infra cuppam, inquit Gav. hîc, *litt. L.* Gerlac. §. 26. Arnaud. hîc, *num.* 14. ita quidem, ut pollices & indices sint suprà nodum, medii digiti ipsi nodo jungantur, & postremi infra nodum Calicem apprehendant, Lohner *part.* 6. *tit.* 8. *num.* 7. *litt. F.*) *& aliquantulùm illum elevans, ac statim deponens, dicit:*

Acci-

Accipiens & hunc præclarum Calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas.

Cùm dicit:

Item tibi gratias agens,

Caput inclinat simpliciter versùs Sacramentum, & non versùs Crucem (Cantelm. *c.* 10. *§.* 19.) *Cùm dicit:*

Bene ✠ dixit,

Sinistrâ Calicem infra cuppam tenens, dextrâ signat super eum (non tamen manus jungit, antequam benedicat; nec Calicem deserit ab ejusdem acceptione, quoad sinistram loquendo, Gav. hîc, *litt. L.* Gerlac. Arnaud.) *& prosequitur* stans erectus:

Dedítque Discipulis suis, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes.

Et ambabus manibus tenens Calicem parùm elevatum (juxta Ord. Missæ) *videlicet sinistrâ*, hoc est, tribus digitis ultimis ejusdem, *pedem, dextrâ nodum infra cuppam, cubitis super Altare positis, & capite inclinato* (ut suprà in consecratione Hostiæ) *profert attentè, continuatè, & secretè, ut suprà, verba consecrationis Sanguinis.*

Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti : mysterium fidei : qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Quibus dictis, reponit Calicem super Corporale & dicens secretò :

Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Genuflexus unò duntaxat genu, *Sanguinem reverenter adorat.* Ex quo patet, verba, *Hæc quotiescunque feceritis, &c.* à Celebrante vel immediatè post Sanguinis consecrationem, ut volunt Castald. *lib.* 2. *sect.* 8. *cap.* 6. *n.* 12. & Cantelm. *cap.* 10. §. 19. circa finem : vel saltem genuflectendo, antequam Calicem elevet, proferenda esse, contra eos, qui ea proferunt elevando Calicem, aut postquam eum elevârunt. Gerlac. *part.* 2. *tit.* 8. §. 27. Bauldr. hîc, ℣. *Antequam Celebrans.* Arnaud. &c. *Tum se erigit, & accipiens Calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ut priùs* (hoc est, sinistrâ pedem, dextrâ nodum tenens, Gav. hîc, *litt.* O. Gerlac. §. 28. Arnaud. *n.* 17. Cantelm. Lohn. *part.* 6. *tit.* 8. *n.* 7. *litt.* *I.*) *elevat eum* perpendicu-

dicularitet, id est, rectâ lineâ sursum à loco suo, ita, ut non elevetur supra Hostiam (Bauld. Cantelm. *c.* 10. §. 19. *n.* 5.) *& erectumeum, quantum comodè potest, ostendit populo adorandum.* Caveat autem, ne Calicem extra limites Corporalis, vel post se, aut directè supra caput suum ferat, aut cum illo frontem vel caput tangat. Gerlac. hîc, §. 18. Cantelm. cit. *n.* 4. Oculos tamen semper habere debet intentos in Calicem, prout suprà, hoc tit. *n.* 5. Rubrica præscribit. Gerlac. citat. Cantelm. citat. *num.* 6. in fine.

Elevatione facta, *mox Calicem* absque eo, ut cuppam, vel nodum, pedémve, aut manum suam osculetur (Gerlac. cit. §. 19. Cantelm. cit. *n.* 4.) *reverenter reponit super Corporale in locum pristinum, & manu dexterâ Pallâ cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.* Ex quibus notandum, quod monet Quart. *part.* 2. *tit.* 8 *num.* 7. videlicet; Cùm Calix cooperitur, vel discooperitur, dexterâ id fieri debet, & interim sinistra super Altare ponitur. Castald. *c.* 6. *n.* 12. Quamvis non videatur malè agere Sacerdos, si, dum dexterâ Calicem Pallâ discooperit, vel cooperit, sinistrâ pro cautela, ne S. Sanguinem super Altare effundi con-

tingat, pedem Calicis teneat; idque maximè, si tremulæ manus periculum augent.

§. Errores, qui contra hanc Rubricam committi possunt, varii sunt: 1. Errant, qui elevatâ, ac super Corporale repositâ Hostiâ consecratâ Calicem detegunt, priusquàm ipsam Hostiam genuflectendo adoraverint. Rubr. Gerlac. Bauldr. 2. Qui Hostiâ repositâ, simul ac genuflectunt, incipiunt, *Simili modo &c.* Item, qui dicta verba incipiunt necdum facta genuflexione post elevationem Hostiæ, vel etiam necdum depositâ Hostiâ super Corporale. Cantelm. *cap.* 10. §. 19. *n.* 6. 3. Qui ad verba, *accipiens & hunc &c.* Calicem utraque manu non juxta nodum, sed sinistrâ pedem, & dextrâ nodum accipiunt. Rubr. 4 Qui ad verbum *bene ✝ dixit*, Calicem deponunt, ut manus jungant, & eundem benedicant. Gav. hîc. *litt. L.* Gerlac. §. 26. Arnaud. 5. Qui formâ consecrationis nondum integrè absolutâ genuflectunt. 6. Qui in actu consecrationis Calicis tenent ipsum ad nodum ambabus manibus, & super Corporale; aut qui elevatum quidem tenent, sed nec cubitîs super Corporale positîs, nec capite inclinato verba consecrationis proferunt; cùm tamen Celebrans *ambabus manibus tenens Calicem parùm elevatum,*

vide-

videlicet sinistrâ pedem, dextrâ nodum infra cuppam, cubitis super Altare positis,&c. eadem proferre debeat. Rubr. Ord. Miss. Cantelm. *c.* 10. *§.* 19. *n.* 1. 7. Qui in elevatione Calicis dicunt verba, *Hæc quotiescunque feceritis, &c.* in loco, ut dicantur im̄ediatè post verba Consecrationis, sive, ut ex verbis Rubricæ constat, dum *S. Sanguinem genuflexus adorat.* Idem, *num.* 2. Gerlac. *§.* 27. Bauldr. hîc, *num.* 2. 8. Qui in elevatione, vel repositione Calicis consecrati, pedem ejus, nodúmque osculantur, aut suam manum. Item, qui frontem, vel caput Calice elevato tangunt. Gerlac. hîc, *§.* 19. Cantelm. cit. *n.* 4. 9. Qui Calicem (vel Hostiam) extra casum impossibilitatis, non elevant ad conspectum populi, ídque per lineam rectam. Cantelm. cit. *n.* 5. 10. Qui elevantes Calicem oculos in eum non intendunt; cùm tamen elevationem Calicis oculi sequi debeant. Rubr. *n. præc.* Cantelm. cit. *n.* 6. in fine. 11. Qui post consecrationem & elevationem restituto Calice, priùs genuflectunt, quàm eum Pallâ cooperiunt. Rubr. Lohner *p.* 2. *tit.* 22. *n.* 9. 12. Errant alii, prout jam suprà *n.* 5. ℣. *Contra positam Rubricam* dictum, & hîc proportionaliter applicandum est.

tingat, pedem Calicis teneat; idque maximè, si tremulæ manus periculum augent.

§. Errores, qui contra hanc Rubricam committi possunt, varii sunt: 1. Errant, qui elevatâ, ac super Corporale repositâ Hostiâ consecratâ Calicem detegunt, priusquàm ipsam Hostiam genuflectendo adoraverint. Rubr. Gerlac. Bauldr. 2. Qui Hostiâ repositâ, simul ac genuflectunt, incipiunt, *Simili modo &c.* Item, qui dicta verba incipiunt necdum facta genuflexione post elevationem Hostiæ, vel etiam necdum depositâ Hostiâ super Corporale. Cantelm. *cap.* 10. §. 19. *n.* 6. 3. Qui ad verba, *accipiens & hunc &c.* Calicem utraque manu non juxta nodum, sed sinistrâ pedem, & dextrâ nodum accipiunt. Rubr. 4 Qui ad verbum *bene ✝ dixit*, Calicem deponunt, ut manus jungant, & eundem benedicant. Gav. hîc. *litt. L.* Gerlac. §. 26. Arnaud. 5. Qui formâ consecrationis nondum integrè absolutâ genuflectunt. 6. Qui in actu consecrationis Calicis tenent ipsum ad nodum ambabus manibus, & super Corporale; aut qui elevatum quidem tenent, sed nec cubitîs super Corporale positîs, nec capite inclinato verba consecrationis proferunt; cùm tamen Celebrans *ambabus manibus tenens Calicem parùm elevatum*,

vide-

videlicet sinistrâ pedem, dextrâ nodum infra cuppam, cubitîs super Altare positis,&c. eadem proferre debeat. Rubr. Ord. Miss. Cantelm. *c.* 10. *§.* 19. *n.* 1. 7. Qui in elevatione Calicis dicunt verba, *Hæc quotiescunque feceritis, &c.* in loco, ut dicantur imediatè post verba Consecrationis, sive, ut ex verbis Rubricæ constat, dum *S. Sanguinem genuflexus adorat.* Idem, *num.* 2. Gerlac. *§.* 27. Bauldr. hîc, *num.* 2. 8. Qui in elevatione, vel repositione Calicis consecrati, pedem ejus, nodúmque osculantur, aut suam manum. Item, qui frontem, vel caput Calice elevato tangunt. Gerlac. hîc, *§.* 19. Cantelm. cit. *n.* 4. 9. Qui Calicem (vel Hostiam) extra casum impossibilitatis, non elevant ad conspectum populi, ídque per lineam rectam. Cantelm. cit. *n.* 5. 10. Qui elevantes Calicem oculos in eum non intendunt; cùm tamen elevationem Calicis oculi sequi debeant. Rubr. *n. præc.* Cantelm. cit. *n.* 6. in fine. 11. Qui post consecrationem & elevationem restituto Calice, priùs genuflectunt, quàm eum Pallâ cooperiunt. Rubr. Lohner *p.* 2. *tit.* 22. *n.* 9. 12. Errant alii, prout jam suprà *n.* 5. ℣. *Contra positam Rubricam* dictum, & hîc proportionaliter applicandum est.

TITULUS IX.

De Canone post Consecratio-nem usque ad Orationem Dominicam.

I.

R*Eposito Calice, & adorato, Sacerdos stans ante Altare extensis manibus ante pectus* (ut suprà *tit. 5. num.* 1. dictum) *dicit secretò:*

Unde & memores, Domine, nos servi tui &c. offerimus præclaræ Majestati tuæ

Cùm dicit:

De tuis donis ac datis,

jungit manus ante pectus: & cùm dicit:

Hostiam ✝ puram, Hostiam ✝ sanctam, Hostiam ✝ immaculatam,

manu sinistrâ positâ super Altare intra Corporale, dexterâ signat ter communiter super Hostiam & Calicem. Et semel super Hostiam tantùm, & semel super Calicem tantùm, dicens:

Panem ✝ sanctum vitæ æternæ, & Calicem ✝ salutis perpetuæ.

De

De hoc vide suprà, *tit. 7. n. 5. ℣. Ad formandas. & seq.* ac *tit. 8. n. 4. Deinde stans, ut priùs, extensis manibus prosequitur:*

Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere &c. imaculatam Hostiam. *Cùm dicit:*

Supplices te rogamus, omnipotens DEUS, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime Altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ: ut quotquot

inclinat se ante medium Altaris profundè (juxta Ord. Miss.) *manibûs junctîs super illo positîs*, non tamen pollice dextro super sinistrum positô, sed junctîs pollicibûs & indicibûs invicem inter se, & parvîs digitîs frontem Altaris tangentibûs; quod & in sequentibus observatur, cùm manus junctæ super Altare ponuntur. Gav. hîc. *litt. A.* Lohner *p. 6. tit. 6. num. 1. litt. P.* Gerlac. hîc, §. 2. Bauldr. &c. vide suprà *tit. 4. num. 1. ℣. Pro hujus Rubrica. Cùm dicit:*

Ex hac Altaris participatione,

Osculatur Altare in medio, *manibus hinc inde super corporale positîs. Cùm dicit:*

Sacrosanctum Filii tui

jungit manus: & dexterâ signans semel super Hostiam tantùm, & semel super Calicem, sinistrâ super Corporale positâ, dicit:

Cor ✝ pus, & San ✝ guinem sumpserimus;

Et cùm dicit:

Omni benedictione ✝ cælesti,

seipsum signat à fronte ad pectus signô Crucis sinistrâ positâ infra pectus, & prosequitur:

Et gratiâ repleamur.

Cùm dicit:

Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

jungit manus absque capitis inclinatione. Cantelm. *c.* 10. §. 20. *n.* 2.

§. Contra Rubricam positam offendunt: 1. Qui Orationem, *Unde & memores &c.* vel ante, vel in ipso actu genuflexionis & adorationis Calicis incipiunt, contra id, quod hîc præscribit Rubrica. Quart. hîc, ℣. *Primò, Sacerdos,* 2. Qui ad dicta verba, *Unde & memores &c.* extendunt, non manus ante pectus, sed ipsa brachia more Ambrosianorum, & Dominicanorum &c. Rubr. Gav. hîc, *litt. V.* Gerlac. *§.* 1. Quart. 3. Qui ad verba, *de tuis donis ac datis*: non jungunt manus ante pectus. 4. Possunt contingere errores in formatione Crucis

ad, *Hostiam † puram &c.* de quo vide suprà in loco, *hoc num.* jam cit. Errant etiam, qui dexterâ benedicentes Oblata, sinistram vel omnino non deponunt, vel post consecrationem eandem extra Corporale tenent; Quart. hîc, ℣. *Secundò.* Gastald. &c. 5. Deficiunt, qui ad *Supplices te rogamus*, & aliàs post consecrationem, ponunt manus junctas totaliter supra Altare ex timore (ut ajunt) ne cadat aliquod fragmentum, quod potest esse intra digitos, in loco, ut ponatur more solito, ita, ut digiti parvi duntaxat frontem Altaris tangant, ex Regul. Gen. Rubr. *tit.* 4. *num.* 1. Cantelm. *c.* 10. §. 20. *num.* 1. Quart hîc, ℣. *Tertiò.* Gav. Lohner, &c. 6. Qui osculato Altari, cùm dicunt, *Sacrosanctum Filii tui*, manus non jungunt. Item, qui ad verba, *Per eundem Christum &c.* ante *Memento*, manuum junctionem omittunt; aut manus quidem jungentes, simul tamen & caput inclinant. Rubr. Cantelm. cit. *n.* 2.

II. *Cùm dicit* secretò, non elevata voce (Gerlac. hîc, §. 5. Cantelm. cit. §. 21. *n.* 3. Lohner *p.* 6. *tit.* 14. *n.* 112.)

Memento etiam, Domine, famulorum, famularúmque tuarum N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.

Extensîs & junctîs manibûs ante pectus, & usque ad faciem elevatîs, & intentîs oculîs ad Sacramentum super Altare, capitéque parùm inclinato (Cantelm. *cap.* 1. §. 4. *num.* 8. Bauldr. *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. Lohner *part.* 6. *tit.* 14. *num.* 122.) *facit commemorationem fidelium Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo, ut dictum est de commemoratione vivorum.* Ubi tamen notandum quòd manus non jungantur ante, sed post verba, *in somno pacis.* Gerlac. §. 4. Bauldr. hîc, *Not.* 1. Lohner *part.* 2. *tit.* 22. *num.* 10. Quare studeat Sacerdos, ut præfata verba, *Memento etiam &c.* ita proferat, omnésque actiones sic exerceat, ut verba & actiones simul absolvantur, manúsque post verba, *somno pacis*, ante pectus jungantur.

Quod autem de junctione manuum dictum, idem de pausa ad *N. & N.* intellige; nam pausa fit non post litteras *N. & N.* sed post verba, *in somno pacis*, inquit Gerlac. hîc, §. 5. Gav. *litt.* C. Arnaud. *num.* 1. &c. Error quippe est (ait Cantelm. *c.* 10. §. 21.) ad *Memento* Mortuorum facere pausam, antequam sint dicta verba: *qui nos præcesserunt cum signo fidei &c.* nisi quis ad illa *NN.* vellet exprimere vocaliter, aut saltem mentaliter nomina illorum, pro quibus sacrificat.

ficat. Ubi pensanda sunt verba, *nomina illorum, pro quibus sacrificat*; quorum nomine haud dubiè non veniunt animæ Defunctorum, quorum tantummodò memoriam in *Memento* facimus, non autem ipsum Sacrificium offerimus pro ipsis.

Commemoratione facta, absque eo, ut capitis inclinationem erga SS. Sacramentum faciat, vel quidquam aliud agat, *stans* erectus, *ut prius, extensis manibus prosequitur:*

Ipsis Domine, & omnibus &c. ut indulgeas deprecamur.

Et in fine, ad

Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

jungit manus, & caput inclinat.

§. Rubricæ huic adversantur, & errant: 1. Qui ad verba, *Memento etiam Domine famulorum &c.* vocem elevant; cùm tamen hæc verba voce eadem, quâ cætera Canonis verba, proferenda sint. Gerlac. hîc, §. 5. & patet ex Rubrica *part 1. tit. 16. n. 1.* ubi ea non numerantur inter illa, quæ clara, vel media voce dicenda sunt. 2. Qui sub hoc *Memento* oculos ad Crucifixum elevant, vel eosdem demittunt, aut ad vitan-

tandam mentis distractionem claudunt, pro eo, ut juxta Rubricam eos *ad Sacramentum super Altare* (NB. non ad illud, quod forte in Monstrantia expositum est) intentos habere debeant. Rubr. Quart. hîc, ℣. *Primò Sacerdos.* Gerlac. §. 5. 3. Qui post *Memento*, ad verba, *Per eundem Christum Dominum nostrum &c.* manus quidem jungunt, sed caput non inclinant, contra expressam Rubricam, hoc loco capitis inclinationem præscribentem. Rubr. Cantelm.

III. *Cùm dicit:*

Nobis quoque peccatoribus.

Vocem aliquantulùm elevat (hoc est media voce dicta tria verba pronuntiat, Lohner *p.6. hîc, num. 3. litt. R.* Cantelm. *cap. 9. §. 3.*) *& dextra manu* (intellige, tribûs tantùm digitîs inferioribûs dexteræ, Bauldr. hîc, Lohner cit. *litt. S.* Gavant. *litt. F.*) *pectus sibi percutit, sinistrâ positâ super Corporale.* Caput tamen ad hæc verba non inclinat. Quart. hîc, ℣. *Deinde ut evitet.* & seq. Cantelm. *cap. 10. §. 20. num. 3.* dicens: Est defectus ad *Nobis quoque peccatoribus &c.* adjungere inclinationem capitis; cùm oporteret stare omnino rectè.

Post

Post dictum, Nobis quoque peccatoribus. *stans erectus manibus extensis, ut priùs, prosequitur secretò:*

Famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus &c. Largitor admitte.

Cùm dicit:

Per Christum Dominum nostrum. Per quem hæc omnia Domine semper bona creas,

jungit manus ante pectus absque capitis inclinatione. *Deinde* sinistrâ super Corporali positâ, *manu dextra ter signans communiter super Hostiam & Calicem, dicit:*

Sancti ✝ ficas, vivi ✝ ficas, bene ✝ dicis, & præstas nobis.

Posteà discooperit manu dextra Calicem, & Pallâ super velum extra Corporale positâ (ut suprà *tit.* 8. *num.* 1.) *genuflexus Sacramentum adorat. Tum se erigit, & reverenter accipit Hostiam inter pollicem & indicem dextræ manûs, & cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter à labio usque ad labium* æqualiter (Gav.) *dicens:*

Per ✝ ipsum, & cum ✝ ipso, & in ✝ ipso:

Et similiter cum Hostia signat bis æqualiter, non unâ breviori alterâ, vel diversâ, sed eadem proportione, & altitudine, qua tres præcedentes, quæ fiunt à labio ad labium Calicis tenens intereà firmum Calicem sinistrâ ad nodum (Cantelm. *cap.* 6. *§.* 3. Gav. hîc, *litt. H* Arnaud. hîc, *num.* 4.) *inter Calicem & pectus, incipiens à labio Calicis* exteriori versùs pectus (Cantelm. cit.) *& dicit:*

Est tibi Deo Pa † tri omnipotenti, in unitate Spiritûs † sancti,

Deinde tenens manu dextra Hostiam super Calicem, sinistrâ Calicem, ut priùs, *elevat eum aliquantulùm* ad quatuor circiter digitos (Gerlac. hîc, *§.* 11. Bauldr. *num.* 3.) *simul cum Hostia dicens:*

Omnis honor & gloria.

Et statim utrumque deponens, Hostiam collocat super Corporale, & si opus sit, digitos extergit, ut suprà, ac pollices & indices, ut priùs jungens, Calicem Pallâ cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat. Cæterùm, quoad hactenùs dicta, tria præcipuè sunt advertenda Sacerdoti. *Primò*: ut Nominibus Sanctorum in Oratione *Nobis quoque peccatoribus &c.* expressis applicet ea, quæ notata

sunt

ſunt ſuprà, *tit.* 5. *num.* 2. 2. Dum Hoſtia conſecrata tractanda eſt, nullo modo incurvet pedem; aut Hoſtiam ipſam, vel manum ante, vel poſt tractationem oſculetur. Gerlac. ʃ. 9. 3. Ut magìs decorè fiant ſigna ſuper Calicem &c. accipiat Hoſtiam non in medio inferioris partis, ſed à latere aliquantulùm infra medium oræ ipſius, ut rectâ lineâ, ſine ulla prorſus ejusdem inclinatione ſignum Crucis efformari queat. Quart. hîc, ℣. *Tertiò.* Gerlac. ʃ. 11.

ʃ. Contra hanc Rubricam ſunt: 1. Qui ad *Nobis quoque peccatoribus* alta voce utuntur; vel, dum dexterâ pectus ſibi percutiunt, ſiniſtram non ſuper Corporale, ſed infra pectus ponunt; vel percutientes pectus ſimul etiam caput inclinant. Rubr. Quart. Cantelm. 2. Qui ad *Per Chriſtum Dominum &c.* addunt *Amen*, vel manus non jungunt; vel junctioni manuum capitis inclinationem ſuperaddunt; vel ad P*er quem hæc omnia &c.* manus hinc inde extendunt, aut ſuper Altare deponunt. Rubr. Gav. 3. Qui priùs genuflectunt, antequam Calicem detegant. Rubr. 4. Qui faciendo duas Cruces cum Hoſtia à Calice ad pectus, unam breviorem efformant alterâ. Cantelm. & alii ſuprà citt. Et hîc tandem finis

eſt

est Canonis, ut notat Quart. Quæst. Procem. *sect.* 3. *punct.* 3. citans alios, & dicens: Communis & probabilior sententia defendit, Canonem extendi solùm usque ad Orationem Dominicam exclusivè, & compleri illîs verbîs, *Per ipsum, & cum ipso, omnis honor & gloria &c.* & probat id ex divo Gregorio *Epist.* 63. ubi ait, Orationem Dominicam recitari post Canonem &c. Gav. *part.* 2. *tit.* 10. *num.* 1. *litt.* Q.

TITULUS X.

De Oratione Dominica, & aliis usque ad factam Communionem.

I.

CElebrans cooperto Calice, adoratóque Sacramento erigit se, & manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positis, dicit intelligibili voce:

Per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Cùm dicit:

Oremus.

jungit manus, capus Sacramento inclinans: & prosequitur:

Præ-

Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati audemus dicere.

Hæc tamen verba, *Præceptis salutaribus &c.* dicit erectus, non capite inclinato: nam (ut inquit Gav. hîc, *litt. P.*) *Sicut ad*, Oremus, *caput inclinat, ita erigit illud statim ad*, Præceptis salutaribus &c. *quod dicit manibus junctis.* Idem Cantelm. *c.* 10. §. 22. dicens: *Ad verbum* Oremus, *inclinet caput versùs Sacramentum, & eodem tempore jungat manus ante pectus: quo facto se erigat, & manibûs junctîs ante pectus prosequatur:* Præceptis salutaribus moniti &c. *usque ad* Pater noster *exclusivè.* Hæc ille, Gerlac. §. I. Bauldr. *num.* I. &c. Quod ipsum ex Rubrica clarè patet consideranti.

Cùm incipit:

Pater noster,

Absque facta capitis inclinatione, *extendit manus, & stans erectus oculîs ad Sacramentum intentîs, prosequitur usque ad finem:*

Qui es in cælis: Sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in

H terra:

terra: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

Responso à Ministro (non ab ipso Celebrante, Gav. hîc, *litt. R.* Gerlac. *§. 2.*)

Sed libera nos à malo.

Et à Celebrante submissa voce,

Amen.

Absque eo, ut ad verbum *Amen*, manus jungat, aut caput inclinet, *manu dextera, pollice & indice non disjunctis, Patenam aliquantulùm Purificatoriô extergens* (adhibitô, si opus fuerit, subsidiô manûs sinistræ) *eam accipit inter indicem & medium digitos; quam tenens super Altare* (hoc est, super Purificatorium extra Corporale, ut priùs fuerat, collocatum, Lohner *part. 6. tit.* 10. *num.* 1. *litt. Y.*) erectam, ita tamen, ut manus dextera non adhæreat mappæ, sed sit elevata desuper Patenam (Gerlac. §. 3.) *sinistrâ super Corporale positâ: dicit secretò:*

Libera nos quæsumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus,

bus, & futuris: & intercedente beata & gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiæ tuæ adjuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.

NB. Pro hac Oratione, *Libera nos quæsumus &c.* vide Rubr. *num. seq.*

§. Contra Rubricam hujus *n.* 1. faciunt 1. Qui vel nondum cooperto Calice, vel nondum adorato Sacramento, vel manibûs nec extensîs, nec super Altare intra Corporale hinc inde positîs incipiunt, *Per omnia sæcula &c.* 2. Qui manent inclinati sive junctîs, sive non junctîs super Altare manibûs, dum dicunt: *Præceptis salutaribus moniti &c.* usque ad *Pater noster:* cùm Rubrica præscribat, ut, cùm dicitur: *Per omnia sæcula &c.* manus teneat positas supra Corporale, & separatas unam ab altera: & ad verbum *Oremus*, inclinet caput versùs Sacramentum, eodémque tempore jungat manus ante pectus &c. Vide di-

&ta suprà, *hoc num.* Rubr. Cantelm. *c.* 10. §. 22. 3. Qui vix dimidiô absolutô *Pater noster*, accipiunt Patenam, eámque Hostiæ consecratæ submittunt, cùm Rubrica dicat, *responso à Celebrante submissa voce*, Amen, *manu dextra Patenam extergens, eam accipit &c.* Gerlac. §. 2. 4. Qui Patenam vel omnino non tenent erectam; vel tenent quidem, sed elevatam in altum, & ab Altari remotam. Rubr. Bauldr. *ad num.* 2. *num.* 1.

II. *Antequam Celebrans* in Oratione, *Libera nos quæsumus &c. dicat*, Da propitius pacem, *elevat manu dextra Patenam de Altari, & seipsum cum ea signat* à fronte ad pectus *signo Crucis, dicens*, da propitius pacem in diebus nostris. *Cùm signat se, manum sinistram ponit infra pectus; deinde Patenam ipsam* in ea parte, in qua Crux formata est (Gerlac. §. 3.) *osculatur*, absque eo, ut eam iterum extergat post osculum (Gerlac. cit. Lohn. *part.* 6. *litt. Z.*) *& prosequens*: Ut ope misericordiæ tuæ &c. *submittit Patenam Hostia, quam indice sinistro accommodat super Patenam* super Corporale positam, & (ut communis praxis probat) partim pedi Calicis innixam, ut posteà & partes Hostiæ, & Patena ipsa, commodiùs accipi possint, nec fragmenta à tergo Patenæ adhæreant

(Loh-

(Lohner *part. 6. tit. 14. num. 130.) discooperit Calicem, &*, Pallâ super velum Calicis depositâ, *genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigens, accipit Hostiam inter pollicem, & indicem dextræ manûs, & cum illis, ac pollice & indice sinistræ manûs eam super Calice tenens, reverenter frangit per medium,* incipiendo à superiori parte Hostiæ (Gav. hîc, *litt. X.*) *dicens:*

Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum,

ubi caput inclinat, dum dicit, *JEsum Christum* (*Cantelm. cap. 1. §. 4. num. 9.*) *& mediam partem, quam inter pollicem & indicem dextræ manûs tenet, ponit super Patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice & indice dextræ manûs particulam* à parte inferiori (juxta Ord. Roman. & S. R. C. 4. *Aug.* 1663.) *prosequens,*

Qui tecum vivit & regnat,

& eam inter ipsos dextræ manûs pollicem, & indicem retinens, partem majorem, quam sinistrâ tenet, adjungit (non autem superimponit) *mediæ super Patenam positæ, interim dicens:*

In unitate Spiritûs sancti Deus.

& Particulam Hostiæ, quam in dextra manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistrâ per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit:

Per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

& cum ipsa Particula signans ter à labio ad labium Calicis sine tactu illius, *dicit*:

Pax ✝ Domini sit ✝ semper vobis ✝ cum.

Responso per Ministrum:

Et cum Spiritu tuo,

Particulam, quam dextera manu tenet, immittit in Calicem, dicens secretò:

Hæc commixtio & consecratio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam, Amen.

Cùm dicit, *Jesu Christi*, caput Sacramento inclinat, Cantelm. *cap.* 1. *§.* 4. *num.* 9. Quart. *part.* 2. *tit.* 5. *num.* 2. dicens: *Ad nomen Jesu, & Mariæ, semper inclinandum est caput.* Lohner *part.* 2. *tit.* 32. *§.* 1. *Deinde* (immissâ scilicet in Calicem Particulâ &c.) *pollices & indices super Calicem aliquantulùm ter-*

git,

git, & jungit, Calicem Pallâ cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat, ſurgit, & ſtans junctîs manibûs ante pectus, & inclinatus (juxta Ord. Miſſæ: quod verbum explicat priorem Rubricam dicentem *capite inclinato*, ut loquitur Lohner cit. & ſignificat inclinationem mediocrem, Idem ibid. & *part.* 6. hîc, *litt. D.* Cantelm. *cap.* 1. *§.* 3. *num.* 7. Bauldr. *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. *& ſeq.*) *versùs Sacramentum dicit intelligibili voce*, absque tamen interpoſita pauſa:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Ubi ſciendùm, quod tantùm ad primum *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, ſtet junctîs manibûs ante pectus. Rubr. Cantelm. *cap.* 2. *§.* 2. *num.* 3. Hoc autem taliter dictô, *dexterâ*, hoc eſt, tribus digitis inferioribus dexteræ (Cantelm. *c.* 8. §. 1. *n.* 2. & alii) *percutiens ſibi pectus, ſiniſtrâ* continuò usque ad *Dona nobis pacem*, incluſivè *ſuper Corporale poſitâ, dicit:* Miſerere nobis. *Et*

deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, cùm dicit secundò: Miserere nobis. *quod & tertiò facit, cùm dicit:* Dona nobis pacem. Attamen, dum repetitur percussio pectoris, dextera non in aëre hæreat, sed vel super Corporale identidem modestè reponatur, vel (quod magis placet) percussiones ita peragantur, ut, dum manus removetur à pectore, intereà verba illa *Agnus Dei*, usque ad *Miserere*, vel *Dona nobis*, absolvantur. Lohner *p. 1. t. 23.* item, *part. 6. tit. 10. num. 2. litt. E.* ac *tit. 14. num. 139.* Porrò observanda pro *Agnus Dei*, in Missis Defunctorum, vide infrà *num. 4.*

§. Contra hanc Rubricam errant: 1. Qui, cùm se Patenâ signant, manum retinent supra Corporale. Rubr. 2. Qui osculatâ Patenâ, & Hostiâ eidem superimpositâ, genuflectunt, nondum discooperto Calice. Rubr. 3. Qui, dum actualiter genuflectunt, vel saltem, antequam Hostiæ fractionem incipiant, dicunt, *Per eundem Dominum nostrum &c.* aut hanc ipsam conclusionem sub fractione Hostiæ non distribuunt juxta Rubr. præscriptum. Rubr. 4. Qui Particulam de media parte Hostiæ, quam sinistrâ tenent, à parte superiori frangunt.

gunt. Ordo Rom. & S. R. C. suprà cit. Item, qui, dum Particulâ Hostiæ signant super Calicem, sinistram super Corporale ponunt, pro eo, ut Calicem sinistrâ per nodum infra cuppam retineant. Rubr. 5. Qui dicunt, *Agnus Dei &c.* manibus junctis supra Altare positis contra illud, quod præscribit Rubr. ut *stent junctîs manibûs ante pectus.* Rubr. Cantelm. *cap.* 10. §. 24. 6. Qui post primum *Miserere nobis*, dum dicunt secundum, & tertium *Agnus Dei*, manus denuò vel ante pectus, vel supra Altare junctas ponunt contra expressam Rubricam, *non jungit manus &c.* Rubr. Cantelm. *cap.* 2. §. 2. *num.* 3.

III. *Tunc* (absolutô scilicet, *Agnus Dei, &c.*) *manibus junctis super Altare positis, oculísque ad Sacramentum intentis, inclinatus* mediocriter (Cantelm. *c.* 1. *§.* 3. *n.* 8. &c.) *dicit secretô :*

Domine JESU Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis &c. Qui vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Qua Oratione finita, si est daturus pacem, osculatur Altare in medio, & absque prævia genufle-

nuflexione (quam etiam post datam pacem non facit, cùm neque accedat, neque recedat à medio Altaris, Lohner *part. 2. tit. 24. Ritu solemn. num. 2.*) *instrumentum pacis ei porrectum à Ministro juxta ipsum ad dextram, hoc est, in cornu Epistolæ genuflexo, & dicit:*

Pax tecum.

Minister respondet:

Et cum Spiritu tuo.

Si non adsit, qui hujusmodi instrumentò pacem recipiat à Celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio Missæ conveniat: nec osculatur Altare, sed dicta præmissa Oratione, statim subjungit alias Orationes, ut in Ordine Missæ. Pax autem in Missis privatis non datur modò, nisi Prælatis (intelligendo per hos non Ecclesiasticos tantùm, sed etiam Religiosos Antistites, Lohner *part. 2. tit. 24. num. 3.*) & Magnatibus, seu Personis valde insignibus, quales sunt Principes sæculares. Lohner cit. Quart. Gerlac. §. 11. Bauldr. hîc, *num. 2.* Gav. &c. Dare autem pacem cum Patena vice tabellæ, seu instrumenti in Missa prohibuit Pius V. *Epist. ad Archiepisc. Tarracon. die 8. Januar.* 1571. *&c.* Gerlac. Gav. *hoc tit. num. 8. litt. Y.* Si tamen detur pax, Sacer-

Sacerdos, dans ósculum pacis ministro, versùs eum non debet producere signum Crucis. Gerlac. §. 10.

IV. *Si verò* Sacerdos *celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad*, Agnus Dei, *quia dicit:* Dona eis requiem; Manus tamen semper (hoc est, per totum *Agnus Dei &c.*) tenet junctas ad pectus, quin eas ponat super Altare, usque ad *Dona eis requiem sempiternam*, inclusivè; nec fit Crux per modum benedicendi Sacramenti, dum dicitur, *Dona eis requiem sempiternam*, sicut aliqui malè faciunt. Cantelm. *cap.* 2. *§.* 2. Lohner *part. 6. tit.* 10. *n.* 4. *litt. F. Nec dicit*, in Miss. de Req. *primam Orationem*, Domine JEsu Christe, qui dixisti &c. *non dat pacem*, *sed* (dictô *Agnus Dei &c.* ut suprà) manibûs junctîs super Altare positîs inclinatus, *dicit alias duas sequentes Orationes.*

Domine JESU Christe, Filí Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificâsti: libera me &c. Amen.

Perceptio Corporis tui Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere

præ-

præſumo, non mihi proveniat &c. Amen.

Quibus Orationibus dictis (non anteà) *genuflectens Sacramentum adorat, & ſe erigens dicit ſecretò:*

Panem cæleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo.

Quô dictô, dextra manu accipit de Patena reverenter ambas partes Hoſtiæ, prius per ſiniſtram ad extremitates Patenæ promotas (Lohn. *p. 6. num. 4. litt. H.*) *& collocat inter pollicem & indicem ſiniſtræ manûs, quibus Patenam inter eundem indicem & medium digitos ſupponit, & eadem manu ſiniſtra tenens partes hujusmodi* ita, ut, quantùm fieri poteſt, conſtituant figuram orbicularem (Cantelm. *cap. 6.* §. 3. Lohner. cit. *litt. I.*) *ſuper Patenam inter pectus & Calicem, parùm inclinatus, dextrâ tribus vicibus percutit pectus ſuum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulùm elevata,* ſeu media:

Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea.

Ubi

Ubi notandum, quòd sola quatuor prima verba, *Domine non sum dignus*, parùm elevatâ, seu media voce dicenda sint. Hîs dictîs, *secretò prosequitur*, ut intres sub tectum &c. prout loquitur Rubrica. Porrò pro hoc loco maximè notanda est Doctrina Gerlac. *part.* 2. *t.* 10. §§. 14. videlicet: Celebrans dicens, *Domine non sum dignus &c.* non addat, *Jesu Christe*: cubitum aut brachium sinistrum non imponat Altari: non levet Hostiam in altum, nec ad latus, ut à populo videatur; non genuflectat, nec ullo modo pedem incurvet, neque contorqueat corpus, sed paululùm inclinatus stans reliquo corpore erectus, tenens Hostiam, tribûs posterioribûs digitîs sinistræ manûs dispositîs sub Patena. Nec percutiat pectus duobus junctis digitis, sed tribus liberis tantùm. Hæc ille; Bauldr. *hîc*, *Not.* 1. Lohner *part.* 2. *tit.* 25. *n.* 1. Cùm autem repetitur percussio, dextra non in aëre hæreat, sed super Corporale identidem modestè reponatur. Lohner *part.* 6. *tit.* 14. *num.* 139.

Præfatis verbîs, Domine non sum dignus &c. *tertiò dictîs, ex sinistra accipit ambas partes prædictas Hostiæ* (quarum tamen priùs unam super alteram ponit) *inter pollicem & in-*

& indicem dextræ manûs, & cum illa ſupra Patenam (quam in hoc caſu, dum ſe cum Hoſtia ſignat) non movet, ſed Hoſtiam tantùm, Bauldr. *hîc*, *Not.* 3. Gav. *litt. P.*) *ſignat ſeipſum ſignô Crucis, ita tamen, ut Hoſtia non egrediatur limites Patenæ, dicens:*

Corpus Domini noſtri JEſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam, Amen.

Hæc autem verba proferens, & ſe ſignans ſtat erectus (nam Sacerdos ſignans ſeipſum, vel alias res, debet ſemper ſtare erectus, & nunquam inclinatus, Cantelm. *cap.* 6. *§.* 2. tenens tunc Patenam locatam ſupra Altare intra indicem &c. Nihilominus ad nomen, *Jeſu Chriſti*, versùs Sacramentum caput inclinat, Cantelm. cit. & *cap.* 1. *§.* 4. *num.* 9. Item, Crux, quæ fit cum Hoſtia ſupra Patenam, debet formari in altum, ut Sacerdos poſſit dici ſignare ſeipſum, & non Patenam, ut faciunt multi, qui parvula Cruce facta ex adverſo Patenæ, non ſignant ſeipſos, ſed Patenam. Cantelm. *cap.* 6. *§.* 2.

Hîs peractîs, *ſe inclinans* mediocriter (Cantelm. *cap.* 1. *§.* 3.) *cubitis ſuper Alta-*

re positis, reverenter easdem ambas partes sumit: quibus sumptis, deponit Patenam super Corporale (ut suprà *num.* 2. dictum, Lohner ibid. cit. *num.* 150.) *& erigens se junctis indicibus & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, & aliquantulùm quiescit in mediatione SS. Sacramenti*, id est, in piis affectibus erga Christum tunc sibi præsentissimum eliciendis, absque tamen capitis inclinatione, Lohner *part.* 6. hîc *litt, N.* & *tit.* 14. *num.* 150. Pro praxi notandum adhuc est, quod Quarti *part.* 2. *tit.* 10. *sect.* 1. *dub.* 4. monet, dicens: Advertat Sacerdos, ut totam Hostiam reverenter traiiciat, & si quid dentibus, vel palato adhæserit, linguâ, non digitô inde revellat; quod si non possit, ne diu immoretur cum admiratione astantium, sumat Sanguinem, & ablutionibûs trajiciat; & quamvis non peccaret Sacerdos, si digitô vellet Hostiam à palato divellere, minùs tamen decens id esse videtur. Laico tamen id absolutè prohibitum est, qui tangere digitîs non potest Sacramentum, sed debet ablutionibûs, etiam iteratîs, id facere, & deglutire, ut monet Henriq. l. 8. c. 50. *Deinde depositis manibûs, dicit secretò:*

Quid

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?

& interim discooperit Calicem, ac Pallâ super velum Calicis, ut suprà dictum, positâ, *genuflectit, surgit, accipit Patenam* dextrâ, & sinistrâ Calicem non nihil retrò collocat, *inspicit Corporale*, quod manu sinistra parùm elevat, dum *colligit fragmenta cum Patena, si quæ sint in eo*; quo facto, accipit sinistrâ Patenam intra indicem, & digitum medium vicinum indici (Cantelm. *c.* 10. §. 25.) & *eam diligenter cum pollice & indice dextra manûs super Calicem* propiùs ad se priùs repositum, *extergit, & ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat*, absque eo, ut extremitates Patenæ circumagat ad os Calicis, aut totam Patenam invertat supra Calicem, uti aliqui faciunt, postquam projecerunt fragmenta. Cantelm. cit. Gerlac. hîc, §. 20.

§. Faciunt contra hanc Rubricam erroneè: 1. Qui in Missis Defunctorum ad, *Agnus Dei*, pectus sibi percutiunt; aut primam Orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti &c.* dicunt. Rubr. Item, qui manus super Altare ponunt, priusquàm dixerint, *Dona eis requiem sempiternam*; vel, qui

ad

ad dicta verba, *Dona eis requiem &c.* Crucem per modum benedicendi Sacramenti faciunt. Rubr. Cantelm. *cap.* 2. *§.* 2. 2. Qui nondum finita tertia Oratione, *Perceptio Corporis &c.* genuflectunt, Hostiam accipiunt &c. Rubr. 3. Qui ad, *Domine, non sum dignus*, voce alta pro media utuntur; versùs cornu Epistolæ stant; aut dictis *suprà, hoc num.* ℣. *Ubi notandum*, contraria faciunt. Gerlac. Bauldr. *ibi citt.* Cantelm. *cap.* 10. *§.* 24. *num.* 2. 4. Qui cum Hostia, ante sumptionem ejusdem, se ipsos signô Crucis non signant; vel, signum Crucis efformant quidem, non tamen in altum, sed transversè super patenam, quasi eam signando; vel, dum se signant cum Hostia, simul cum ea movent etiam Patenam, pro eo, ut teneant tunc eam locatam supra Altare intra indicem &c. Rubr. Gav. hîc, Gerlac. Cantelm. *cap.* 6. *§.* 2. 5. Qui tertia percussione facta ad *Domine non sum dignus*, cum Hostia se se brachiis super Altare positis inclinant, pios actus eliciunt, & tunc primùm iterum erecti se signant dicentes, *Corpus Domini &c.* ac denuo, ut priùs, super Altare inclinati, partes Hostiæ sumunt. Rubr. Item: Qui nec cubitis super Altare positis, nec inclinati sumptionem peragunt; vel, qui

partes Hostiæ, antequam eas sumant, osculantur, Rubr. 6. Qui, postquàm absolutô *Domine non sum dignus*, se cum Hostia debitè jam signârunt, & sumptioni modicam considerationem, aut pios virtutum actus inclinati præmiserunt, iteratò cum Hostia se signant, & tunc primùm eam sumunt.

V. *Si verò adsint Hostiæ consecratæ super Corporale positæ pro alio tempore conservandæ, factâ priùs genuflexione reponit eas in vas ad hoc ordinatum, & diligenter advertit, ne aliquod fragmentum, quantumcunque minimum remaneat super Corporale: quod si fuerit, accuratè reponit in Calicem.*

Pro clariori hujus Rubricæ intelligentia, notandum est, quod ad litteram Rubricæ docet Cantelm. *cap.* 11. §. 3. ℣. *Nonnulli*. dicens: Quando consecratæ fuerunt aliquæ Particulæ supra nudum Corporale, eum in finem, ut tantùm conserventur in Tabernaculo, ante Sumptionem Sanguinis debent reponi in Pyxidem, uti expresè notat Rubrica 10. *num.* 5. quæ ordinat, ut fiat genuflexio, antequàm illæ tangantur, & imponantur in Pyxidem: quibûs repositîs, & clausa Pyxide, discooperitur Calix, & genuflectitur. Deinde colliguntur fragmenta, & sumitur Sanguis, & post purifica-

ficationem Calicis, ante ablutionem, aperitur Tabernaculum, genuflectitur, sive sit, sive non sit Sacramentum in Tabernaculo, & reposita Pyxide, antequàm illud claudatur, fit iterum genuflexio. Ita cit. Cantelm. Ex quo patet, hanc Rubricam distinctam esse ab ea, quæ ponitur initiô *num. 6. seq.*

Post extersionem Patenæ, junctis pollicibûs & indicibûs, Calicem dextra manu infra nodum cuppa (non supra eum, vel ipsum nodum cuppæ, juxta Gav. fortè hanc Rubricam explicantem, prout ait Lohner *part. 2. tit. 25. num. 3.*) *accipit sinistrâ Patenam, dicens:*

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.

& signans se signô Crucis cum Calice (ut priùs cum Hostia, absque eo tamen, ut Patenam Calici supponat, Gerlac. *ſ.* 19. Gav. *litt. V.* Arnaud. *num.* 4. Bauldr. hîc, *num.* 2.) dicit:

Sanguis Domini nostri JEsu Christi custodiat animam meam in vitam æternam, Amen.

I 2 *& ma-*

& manu sinistra supponens Patenam Calici subtus mentum, *stans reverenter sumit totum Sanguinem cum Particula in Calice posita.* Pro hac Rubr. observandum est, quod habet Cantelm. *cap.* 10. §. 25. dicens: Sacerdos signans se signo Crucis cum Calice ebibit manu dextra Sanguinem, tenens eodem tempore manu sinistra Patenam subtus mentum: & est notandum, quòd tantùm ita debeat teneri Patena, dum actu bibitur Sanguis, & sumitur purificatio, & non priùs, nec posteà; unde quando Sacerdos se signat cum Calice, aut porrigit Ministro Calicem ad accipiendum vinum pro purificatione Calicis, manus sinistra cum Patena intra digitos, tenenda est supra Corporale. Hæc Cantelm. Gav. Gerlac. Lohner *part.* 6. hîc, *litt. R. &c.* Est autem Patena in hoc casu super Altare non erecta & desuper manus sinistra, tenenda, ut suprà ad Orat. *Libera nos quæsumus &c.* præscribitur, sed ipsa sinistra cum Patena intra digitos tenenda est supra Corporale, ut ex verbis descriptis patet. Insuper advertendum est, quod monet Gerlac. *part.* 2. *t.* 10. §. 23: dicens: Sumendo totum Sanguinem usitatiùs, & ad consumendam speciem aptiùs, ter Calix ori admovetur quàm semel; non autem pluries quàm ter; &

dum

dum purificationem sumit, non ultra bis Calix ori admovendus est: aliàs verò stomachum adstantibus moveret, dum toties Calicem lambit, aut sugit. Idem Gav. *litt.* *V.*

Sumpto Sanguine cum Particula, *dicit secretò:*

Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus: & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

& super Altare, nisi parvitas Ministri aliud exigat (Lohner *part.* 6. *hoc tit. num.* 5. *litt. S.* quod idem de ablutione intelligendum Gerlac. *§.* 61.) *porrigit Calicem ministro in cornu Epistolæ, quo vinum fundente se purificat.* Deceret autem, ut vinum pro purificatione Calicis infusum esset ejusdem saltem quantitatis, cujus fuerunt primæ species Sanguinis: alioquin Sacerdos illud saltem intra Calicem circumagat, ut absumantur species. Nec Abstemii debent sine vino purificare Calicem, Papa inconsulto, ex Romana praxi. Gav. hîc, *litt. Y.* Item notandum est, quod monet Quart. hîc, ℣. *Interim.* ex Castald. *l.* 2. *sect.* 8. *cap.* 7. *n.* 11. ut Purificatio, & ablutio sumatur per

eandem partem Calicis, per quam Sanguis Christi haustus est, ut sic meliùs absumantur omnes reliquiæ specierum; quod etiam habetur in quadam Epist. Pii V. ad Episc. Terracon. &c. *Deinde*, absque eo, ut tegat Patenam cum Palla (quod multi adhibito pede Calicis erroneè faciunt) aut etiam Purificatorio denuò purificet, vel illam inversam supra Corporale ponat, Calicem ipsi imponendo: item absque eo, ut os suum, vel labium exterius Calicis ex illa parte, ex qua bibit, digitis abstergat, aut digitos lambat (Gav. *hoc tit. num* 5. *litt.* *Y.* Cantelm. *cap.* 10. *§.* 25.) *vino & aqua* in cornu Epistolæ (factâ in abitu & reditu vel Cruci competente reverentiâ, vel SS. Sacramento exposito genuflexione, Lohner *part.* 6. *tit.* 14. *num.* 155.) *abluit pollices & indices super Calicem, quos abstergit Purificatoriô, interim dicens:*

Corpus tuum Domine, quod sumpsi, & Sanguis, quem potavi, adhæreat visceribus meis: & præsta &c.

Tunc in medio Altaris (Gav. *litt. Z.* Gerlac. *§.* 28. Arnaud. hîc, *num.* 11. *ablutionem sumit*, sinistrâ supponens Purificato-

rium

rium Calici (Lohner cit. *num.* 156.) *& extergit os & Calicem Purificatoriô.* Quòd si post sumptam ablutionem, aut post dictas Orationes aliquam Hostiæ Particulam Sacerdos in Patena reperit, potest eam statim sumere; quia tota illa actio reputatur unus actus, una perfecta Sacrificii consumptio, & unicum convivium. Gerlac. §. 30. citans Bonac. de Evchar. *d.* 4. *q.* 6. *part.* 2. *num.* 12. Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 6. *n.* 22. Post Communionem, quamvìs mentaliter pii actus, donec Calix cum Velo & Bursa desuper positâ rite dispositus existat, elici possint, ne tamen, *O Sacrum Convivium &c.* nec quicquam aliud ad Missam non pertinens, ex propria Celebrantis devotione oretenùs dicatur. Gerlac. cit. §. 29.

Peractîs omnibûs, *Purificatorium extendit super Calicem, & desuper Patenam, ac super Patena parvam Pallam, & plicato Corporali, quod reponit in Bursam, cooperit Calicem Velô, & Bursam desuper ponit, & collocat in medio Altaris, ut in principio Missa.* Sunt autem pro majori hujus Rubricæ intelligentia advertenda sequentia: 1. Ut Sacerdos, antequam Velô cooperiat Calicem, plicet Corporale, & reponat in Bursam, prout ex Rubrica patet; Calicem verò, dum pli-

cat Corporale, collocet versùs cornu Epistolæ (quamvis juxta Lohner *p. 2. tit. 28. num.* 3. collocari etiam possit versùs cornu Evangelii) ut commodiùs accipiat Bursam, quæ est in cornu Evangelii. Gerlac. *§.* 32. Gav. *litt. B.* Arnaud. *n.* 12. Bauldr. 2. Reponat Corporale in Bursam, juxta Rubr. non autem extra eam immediate supra Velum Calicis. Dum verò Bursa super Calicem Velô coopertum ponitur, pars ejus aperta non latus Altaris, sed celebrantem respiciat. Lohner *part. 6. tit.* 14. *num.* 156. Bauldr. hîc, *num. 7.* 3. Ut cooperiat Calicem velô, &c. & collocet in medio Altaris, ut in principio Missæ, ita, ut velum totum Calicem in anteriori parte tegat. Gav. *litt. C.* Bauldr. Arnaud. *num.* 13. Gerlac. *§.* 33. Lohner *part. 6.* hîc. *litt. X.*

Cæterùm, prædicta ratione Calicis post sumptionem peractam disponendi; sunt quidem juxta Rubricæ citatæ, & Authorum notatorum mentem, ac proinde meritò practicanda. Nihilominùs, cùm in Ordine Missæ habeantur hæc verba: *Abluit digitos, extergit, & sumit ablutionem. extergit os, & Calicem, quem operit, & plicato Corporali, collocat in Altari, ut priùs:* & ex his verbis, Calicem priùs operiendum velô, quàm

quàm Corporale plicandum esse, nonnemo colligere possit, hinc erroris (saltem in Germania) arguendus non est, qui secundùm communissimam, ac consuetudine receptissimam Praxin R. P. Lohner *part.* 6. *tit.* 14. *num.* 156. agit. Est autem ea sequentis tenoris. Ablutione sumpta, ac ore & Calice Purificatoriô extersô, extendit (Sacerdos) Purificatorium super Calicem & desuper Patenam, ac super Patenam parvam Pallam, & cooperit Calicem velô, ac utraque manu adhibita, sinistrâ ad nodum, dextrâ super Calicem, removet eum in sinistrum (sive Evangelii) latus, ut plicare queat Corporale. Tum dextra manu recipitur Bursa, quæ post insertum Corporale ita Calici imponitur, ut ejus apertura antrorsum, non ad latus respiciat. Deinde acceptum denuò circa nodum sinistra manu Calicem, dextrâ desuper positâ, collocat in medio Altaris, & velum aptat, ut, sicuti in Principio Missæ, totus Calix lateat. Hæc Lohner cit.

5. Contra Rubricas hujusmodi deficiunt: 1. Qui verba: *Calicem Salutaris accipiam, &c.* pronunciant, Patenâ necdum extersâ. Rubr. 2. Qui tenent Patenam subtus mentum ante actualem sumptionem

Sanguinis. Rubr. Cantelm. *cap.* 10. *§.* 25. *num.* 1. 3. Qui sumpto S. Sanguine Calicem supra Corporale positum retinent, donec Orationem, *Quod ore sumpsimus, &c.* absolverint. Ord. Missæ. Idem intellige de iis, qui id ipsum faciunt ante ablutionem digitorum super Calicem. Rubr. 4. Qui accepta purificatione Patenam cum Palla tegunt, idque adhibito pede Calicis; vel inversam supra Corporale ponunt, Calicem ipsi imponendo. Cantelm. *cap.* 10. *§.* 25. *n.* 2. 5. Qui pro purificatione vel ablutione solam aquam, vel pro ablutione solum vinum adhibent. Rubr. Gav. *litt.* Y. Gerlac. §. 25. & 27. Gobat tamen *Theol. Exper. tr.* 3. *num.* 853. negat, committi peccatum veniale, si pro Ablutione solum vinum adhibetur; idque ob praxin multorum, & quia Rubrica non videtur esse præceptiva circa aquam. Vid. etiam de hoc *Tractat. de Defect. Miss. fol.* 35. *num.* 17. 6. Qui digitîs labia Calicis seu oris sui detergunt, aut digitos lambunt; Pius V. cit. à Gav. loco cit. Cantelm. cit. *n.* 3. 7. Qui secundam ablutionem sumunt in cornu Epistolæ, pro eo, ut eam sumant in medio Altaris; vel qui eam omnino non sumunt, sed Missâ finitâ in Sacrarium mittunt. Rubr. Gavant. *litt.* Z. Gerlac. *§.* 28.

8. Qui

8. Qui extergendo Calicem eum ad nodum tenentes indiscretè circumagitant in tantum, ut non rarò curvum ad Sacristiam reportent, quem priùs rectum ad Altare detulerunt. Quare ut extersio hæc bene fiat, Calicem infra cuppam, sive (quod idem est) ipsam cuppam Calicis intra sinistræ medium & quartum digitos ita teneant, ut totus pes Calicis cum nodo ejusdem per digitos dictos ex adversa manûs parte promineat; sic enim securè Calix & peraccommodè circumagi, & abstergi poterit. 9. Qui Purificatorium abstersione facta super Patenam extendunt; vel extensionis locò complicatum intra cuppam ponunt. Rubr. 10. Qui Corporale in Bursam non reponunt; vel etiam non complicant, nisi post ultimum Evangelium. Rubr. Ubi tamen excipiendum est, si Calix in Altari pro alia Missa im̃ediatè dicendâ relinqui debeat.

VI. *Si qui sunt communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem Sanguinis, antequàm se purificet*, Calicem Pallâ tegat (Gay. hîc, *litt. D.*) & *facta genuflexione ponat particulas consecratas in Pyxide, vel si pauci sint communicandi, super Patenam, nisi à principio posita fuerint in Pyxide seu alio Calice. Interim Minister*

nister ante eos extendit linteum, seu velum album, & pro eis facit Confessionem, dicens: Confiteor Deo &c. *Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus junctis vertens se ad populum in cornu Evangelii, dicit:* Misereatur vestri, &c. *&* Indulgentiam absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum, &c. *& manu dextra facit signum Crucis super eos, sinistrâ* infra pectus retentâ. Verba autem *vestri, vestris, &c.* dici debent etiam uno tantùm communicando, Gav. *litt. F.* Arnaud. *num.* 15. Cantelm. *cap.* 11. *§.* 2. *Posteà genuflectens, accipit manu sinistra Pyxidem, seu Patenam cum Sacramento, dextrâ verò sumit unam Particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantulùm elevatam super Pyxidem seu Patenam,* ita, ut dextra manus adhæreat Patenæ, seu Pyxidi, neque nimiùm elevetur Particula super Pyxidem (Gav. hîc, *litt. G.*) *& conversus ad communicandos in medio Altaris* (nisi SS. Sacramentum patenter expositum existat, quia tunc magìs conveniens videtur, ut se ad cornu Evangelii paululùm retrahat, quamvis contrarium teneat Cantelm. *cap.* 11. *§.* 2.) *dicit* una tantùm vice:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Deinde

Deinde dicit ter, absque addito, *JESU Christe*:

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.

Quæ verba dicuntur à Sacerdote integrè, clara voce, & semper in genere masculino. Quare ritus ille apud quasdam Moniales, quæ tacente Sacerdote dicunt: *Domine non sum digna, &c.* continet errata duo: alterum, quòd à Sacerdote non dicitur, contra Rubricam. Alterum, quòd mutantur verba à Centurione accepta, & à Rubrica non mutata, contra Bullas Pii V. & Pauli V. qui prohibent mutationem in Missali & Rituali Romano, in quo *Tit. Ordo ministrandi Sacr. Commun. fol.* 66. expressè dici jubetur, *Domine non sum dignus, &c.* cùm fœminæ Communio ministratur. Gavant. *litt. H.* Quart. hîc, ℣. *Secundò.* Arnaud. *num.* 17. Nihilominùs hæc non ita intelligenda sunt, quasi necessariò verba, *Domine non sum dignus, &c.* idiomate latino semper proferri debeant: nam, si ii, qui communicandi sunt, non calleant linguam latinam, omnino vernaculâ dici poterunt. Lohn. *p.* 6. *hoc num. litt. Z.*

Verbis

Verbis prædictis *tertiò repetitis, accedit ad communicantium dextram, hoc est, ad latus Epistolæ, &* tribus digitis posterioribus inflexis, ac quasi intra manum plicatis, pollice ac indice *unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem, seu Patenam* (non tamen per transversum Patenæ vel Pyxidis, sed in altum, eóque modo, quo se ipsum signat, Gavant. *litt. L.* Cantelm. cit.) *& semel dicens:*

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.

Nec addit Cruce iterum facta, *Pax tecum:* nisi specialiter id alicubi à Diœcesano Rituali exigatur. Lohner *p.* 2. *tit.* 26. *num.* 3. *Omnibus communicatis revertitur ad Altare nihil dicens; & non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ:* nisi denuo aliquibus in Diœcesibus speciale quid, vel ex consuetudine antiqua, vel ex præcepto observandum sit; prout notat Lohner *p.* 6. *tit.* 10. *num.* 6. *litt. B. C.*

Si Particulæ positæ erant super Corporale, extergit illud cum Patena; & si quæ in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit secretò:

cretò: Quod ore sumpsimus, &c. *& se purificat, dicens:* Corpus tuum Domine, quod sumpsi, &c. *& alia facit, ut suprà. Minister autem dextera manu tenens vas cum vino & aqua, sinistrâ verò mappulam, aliquantò post Sacerdotem eis porrigit purificationem, & mappulam ad os abstergendum.* Et hæc de Communione fidelium in Missis, quæ non sunt de *Requiem*, faciendâ, breviter dicta hîc sufficiant: exactiorem enim hujus Praxin infrà *Tit. propr.* invenies. Dixi, *quæ non sunt de Requiem*: nam quamvis Communio Laicorum in Missa Defunct. videbatur aliàs licita, ut videre est apud Quart. *p.* 1. *t.* 5. *dub.* 1. Gav. *part.* 2. *tit.* 10. *num.* 6. *litt. N.* vel saltem propter communem usum, & consuetudinem credebatur tolerabilis; quia verò S. R. Congreg. fecit Decretum contrarium Anno 1701. præfata Communio haud ampliùs est licita, nec usus ille, aut consuetudo tolerabilis, sed pro abusu imposterum habendi. Ita Card. Cant. *c.* 11. §. 6. Sed Cajet. Merati Sacr. Rit. Cong. Consultor *p.* 2. *tit.* 10. *fol.* 604. *col.* 2. *Edit.* 1736. docet, prædictum Decretum (Sac. Rit. Congregatione ex novis motivis prohibente) non esse ad extra datum, seu non esse publicatum, sed suspensum. Unde (inquit *eod. Tit.*) ex validis rationum momen-

mentis, in Missa Defunctorum post Communionem Sacerdotis, licitum est distribuere Communionem Fidelibus, tam ex Particulis in eadem Missa consecratis, quàm ex Particulis præconsecratis in altera Missa, & in Pyxide seu Ciborio contentis, Castald. Pignatell. & multi alii. Hunc autem Ritum, Sacram Eucharistiam in Missis Defunctorum distribuendi non esse recentem, sed antiquum, docet & probat idem *fol.* 605. *& seq.* additque in fine, hunc Ritum in omnibus Urbis Ecclesiis exerceri.

Dices, extare Decretum S. R. C. 2. *Aug.* 1705. quod sic sonat: *Sacerdos in Missa de Requiem non potest populo ministrare Eucharistiam cum Particulis existentibus in Pyxide; potest tamen ministrare Particulas à se consecratas in eadem Missa.* ℟. det Merati *fol.* 609. *col.* 1. dicens: Hoc Decretum ut perlegi, statim omnem adhibui diligentiam in evolvendis Regestis S. R. C. in quibus nunquam potui tale Decretum reperire, unde pro certo habeo, esse suppositirium. Ità ille. Dictum est autem, *in Missa Defunctorum post Communionem Sacerdotis*; secùs enim est ante, vel post Missam Defunctorum, in quo casu Sacerdoti abstinendum esse à distribuenda Fidelibus Eucharistia, docet cum Merati *fol.* 610. *col.* 2. ferè comunis sententia.

Ratio

Ratio est: tum, quia Rituale Romanum *Tit.* 24. §. 1. expressè præscribit, ut Sacerdos populo extra Missam Evchariſtiam miniſtraturus indutus ſit *Stolâ coloris Officio illius diei convenientis*; tum, quia in Paramentis nigris extra Missam communicatis non est danda illa Benedictio, quæ præſcribitur in eodem Rituali, §. 18. ibi: *Benedicit iis, qui communicârunt, &c.*

Errores contra hanc Rubricam quod attinet, ii hîc ſtudiô omittuntur, qui tum ex dictis *num. præc.* tum ex infrà dicendis, *Tit. proprio*, jam inſinuato (dum de Conſecratione Particularum, & de Communione Fidelium agetur) ſatis colligi, & emendari poterunt.

VII. *Si in Altari remaneant Particulæ in Calice, ſeu in alio vaſe usque ad finem Miſſæ, ſerventur ea, quæ in Feria quinta Cœnæ Domini præſcribuntur circa finem Miſſæ:* videlicet: Genuflectat Sacerdos, quandocunque accedit, vel recedit à medio, vel tranſit ante Sacramentum in vaſe reſervatum; & cùm dicit: *Dominus vobiſcum,* non vertit ſe ad populum in medio Altaris, ſed paulò prope cornu Evangelii, ne terga vertat Sacramento; & in fine ibidem dabit benedictionem,

non perficiens circulum. Calix quoque in hoc casu non erit collocandus in medio Altaris, sed à latere Evangelii. Neque plicabitur Corporale, nisi repositô Sacramentô in locum suum post Missam. Denique cùm dicit Evangelium S. Joannis in fine Missæ, non signabit Altare, sed se ipsum tantùm, nisi legat Evangelium ex libro, vel Tabella. Ad verba: *Et Verbum Caro factum est*, genuflectit paulò versùs Sacramentum. Gavant. hîc, *litt. B.* & *p.* 4. *Tit.* 8. *n.* 8.

TITULUS XI.

De Communione, & Orationibus post Communionem dicendis.

I.

CElebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari (ut suprà) *liber Missalis defertur per Ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur, ut in Introitu. Ipse autem Minister genuflectit juxta cornu Evangelii, ut in principio Missæ* (intellige quoad latus, non autem

quoad

quoad locum ipsum genuflexionis, Lohner *p.* 6. hîc, *litt. P*) *Deinde Celebrans* factâ Cruci debitâ reverentiâ, à medio Altaris ad cornu Epistolæ accedens (Lohner *p. 6. tit.* 14. *num.* 157.) *stans junctis manibus, legit Antiphonam, quæ dicitur Communio:*

Communio.

Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Qua lecta, junctîs item manibûs ante pectus vadit ad medium Altaris, & (absque facta Cruci reverentia *) eo osculato vertit se ad populum à manu sinistra ad dextram (* ut aliàs *) & dicit* extendens, & jungens manus:

Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

& per eandem viam junctîs manibûs *redit ad librum, & dicit Orationes post Communionem* (hoc est, Postcommuniones) *eisdem modo, numero, & ordine, ut suprà dicta sunt Collecta,* seu Orationes post *Gloria in Excelsis, &c.*

Postcommunio.

Hæc nos Communio, Domine, purget à crimine: & intercedente beata

Virgine Dei Genitrice Maria, cælestis remedii faciat esse consortes. Per eundem Dominum.

Quibùs finitîs, claudit librum (nisi in fine legendum sit Evangelium aliud, quàm S. Joannis) *& jungens manus ante pectus, revertitur ad medium Altaris, ubi eo osculato vertit se ad populum, &* extendens, ac jungens manus, *dicit ut suprà:*

Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

quo dicto, stans junctîs manibûs ante pectus versùs populum (ut ad, *Dominus vobiscum*) *dicit, si dicendum est:*

Ite Missa est.
℟. Deo gratias.

& per eandem viam revertitur ad Altare, hoc est, ad medium ejusdem. *Si verò non sit dicendum, dictô* Dominus vobiscum, *revertitur eodem modo per eandem viam ad medium Altaris, ubi stans versus ad illud, junctîs ante pectus manibûs, dicit* sine inclinatione capitis:

Bene-

Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

In Missis autem Defunctorum eodem modo stans versùs Altare, absque eo, ut Crucis signum faciat, sicut ad Introitum Missæ, *dicit*:

Requiescant in pace.

℟. Amen.

§. Agunt contra hanc Rubricam: 1. Qui, dum accommodant Calicem post extersionem ejusdem, dicunt, vel saltem inchoant Antiphonam (quæ *Communio* nominatur) ut in Missis Defunctorum, *Lux æterna*, *&c.* idque ex eo, ut citiùs dicere possint, *Dominus vobiscum*, absque eo, ut eatur ad cornu Epistolæ, & ibidem tota dicatur Communio. Cantelm. *cap.* 10. §. 26. 2. Qui ad finem Orationis (quæ *Postcommunio* nuncupatur) recedunt à libro, antequàm terminaverint totam conclusionem ultimæ Orationis. Idem *ibid.* 3. Qui vel ante, vel post dictum, *Benedicamus Domino*, & *Requiescant in pace*: vel dum hæc dicunt, caput Cruci inclinant. Rubr. 4. Qui in Missis Defunctorum, dum dicunt, *Requiescant in pace*, signum Crucis qualitercunque dextrâ producunt. Rubr.

Virgine Dei Genitrice Maria, cælestis remedii faciat esse consortes. Per eundem Dominum.

Quibûs finitîs, claudit librum (nisi in fine legendum sit Evangelium aliud, quàm S. Joannis) *& jungens manus ante pectus, revertitur ad medium Altaris, ubi eo osculato vertit se ad populum, &* extendens, ac jungens manus, *dicit ut suprà:*

Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

quo dicto, stans junctîs manibûs ante pectus versùs populum (ut ad, *Dominus vobiscum*) *dicit, si dicendum est:*

Ite Missa est.
℟. Deo gratias.

& per eandem viam revertitur ad Altare, hoc est, ad medium ejusdem. *Si verò non sit dicendum, dictô* Dominus vobiscum, *revertitur eodem modo per eandem viam ad medium Altaris, ubi stans versus ad illud, junctîs ante pectus manibûs, dicit* sine inclinatione capitis:

Bene-

Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

In Missis autem Defunctorum eodem modo stans versùs Altare, absque eo, ut Crucis signum faciat, sicut ad Introitum Missæ, *dicit*:

Requiescant in pace.

℟. Amen.

§. Agunt contra hanc Rubricam: 1. Qui, dum accommodant Calicem post extersionem ejusdem, dicunt, vel saltem inchoant Antiphonam (quæ *Communio* nominatur) ut in Missis Defunctorum, *Lux æterna, &c.* idque ex eo, ut citiùs dicere possint, *Dominus vobiscum*, absque eo, ut eatur ad cornu Epistolæ, & ibidem tota dicatur Communio. Cantelm. *cap.* 10. §. 26. 2. Qui ad finem Orationis (quæ *Postcommunio* nuncupatur) recedunt à libro, antequàm terminaverint totam conclusionem ultimæ Orationis. Idem *ibid.* 3. Qui vel ante, vel post dictum, *Benedicamus Domino*, & *Requiescant in pace*: vel dum hæc dicunt, caput Cruci inclinant. Rubr. 4. Qui in Missis Defunctorum, dum dicunt, *Requiescant in pace*, signum Crucis qualitercunque dextrâ producunt. Rubr.

II. *In Quadragesima autem à Feria quarta Cinerum usque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ, in feriali Officio (* non autem in Missis de Dominica, vel de Sanctis, vel Votivis quibuscunque *) postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequàm* librum claudat, & *dicat,* Dominus vobiscum: *stans in eodem loco ante librum dicit:*

Oremus, Humiliate capita vestra Deo.

caput Cruci (ut ait Lohner *part. 6. tit. 14. n. 164.) inclinans, & extensis manibus subjungit eadem voce Orationem super populum ibidem positam: Qua finita,* redit clausô librô ad medium, *osculatur Altare, & vertens se ad populum dicit,* Dominus vobiscum: *& alia, ut suprà,* perficit.

TITULUS XII.

De Benedictione in fine Missæ, & Evangelio S. Joannis.

I.

D*Icto,* Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *ut suprà, Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super*

eo,

eo, & mediocriter inclinatus (juxta Ordinem Missæ dicentem, *inclinat se*, Cantelm. *c.* 1. *§.* 3. *num.* 10. Gerlac. *p.* 2. *tit.* 2. *§.* 15.) *dicit secretò:*

Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta: ut Sacrificium, quod oculis tuæ Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans versùs illud, elevat ad cælum oculos, & manus, quas extendit, & jungit, capútque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili:

Benedicat vos omnipotens Deus.

& junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum à sinistro latere ad dextrum (uti ad, *Dominus vobiscum*) *extensa manu dextera, junctísque digitis, & manu sinistra infra pectus posita*, stans in medio Altaris (etiamsi à latere, & à tergo aliqui circumstarent,

aut flecterent, puta, Clerus vel Moniales in Choro, & populus ante Altare, Lohner *p. 2. tit. 29. num. 1.* Gav. *p. 2. tit. 12. litt. Y.) semel benedicit populo, dicens:*

Pater, & Filius, ✝ & Spiritus sanctus.

℟. Amen.

& circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto,

Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

pollice dextro signans primùm signô Crucis Altare, seu librum in principio Evangelii, deinde frontem, os, & pectus (ut supra *tit. 6. n. 2.* notatum) *dicit:*

Initium sancti Evangelii secundùm Joannem.

vel,

Sequentia sancti Evangelii, &c.

ut dictum in Rubricis generalibus, &

℟. Gloria tibi Domine.

junctis manibûs legit Evangelium:

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c.

vel

vel aliud, ut convenit, hoc notato, quòd *in Missis Votivis nunquam legatur in fine aliud Evangelium, nisi S. Joannis.* Rubr. *p. 1. tit.* 13. *n.* 2. Cùm in Evangelio S. Ioannis *dicit:*

Et Verbum Caro factum est.

manibus disjunctis, & super Altare positis, *genuflectit versùs cornu Evangelii, & surgens prosequitur, ut priùs:*

Et habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, &c.

Quo finito, Minister stans à parte Epistolæ respondet:

Deo gratias.

Sacerdos autem in fine nec osculatur librum, vel Tabellam Evangelii, nec se ipsum signô Crucis signat, nec aliam solemnitatem adhibet; sed responso, *Deo gratias,* junctis ante pectus manibûs, similiter ad medium Altaris recedit. Gavant. hîc, *litt. A.*

Si Celebrans in Altari vertit faciem ad populum, non vertit se, sed stans, ut erat, benedicit populo, ut suprà (tit. 5. num. 2.) in medio Altaris, deinde accedit ad cornu Evangelii, & dicit Evangelium S. Joannis.

§. Contra hanc Rubricam faciunt: 1. Qui ad, *Placeat tibi sancta Trinitas, &c.* vel omnino manus super Altare non ponunt; vel saltem non per integram eam Orationem. Rubr. 2. Qui ante Benedictionem nec Altare osculantur, nec alia omnia à Rubrica præscripta peragunt, aut populo benedicturi, ad eum se convertunt, priusquàm dixerint, *Benedicat vos, &c.* capútque Cruci inclinaverint. Rubr. Gerlac. §. 2. 3. Qui benedicturi populo priùs versùs eum se inclinant, maximè si Personas spectabiles (à Rubrica tamen non exceptas) præsentes sciant; item, qui ter, Episcoporum more benedicunt: quibus proinde maximè notanda est Doctrina Gav. in hunc locum *litt. Y.* quæ sic sonat: Quòdsi Celebrans ante se, & à tergo circumstantes habeat, puta, Clerum in Choro, seu Moniales, & populum ante Altare, nihilominùs tamen semel tantùm benedicere debet, manu conversa ad eos, qui sunt ante Altare, intentione directa ad omnes. Hæc ille, Gerlac. §. 3. Bauldr. *Not. num.* 2. 4. Qui legentes ultimum Evangelium stant conversi ad Crucifixum, vel aliò; cùm tamen illud legendum sit iisdem ritibus, quibus primum Evangelium post Epistolam, osculô exceptô in fine. Gav. *litt*, Z.

5. Qui

5. Qui ad verba, *Et Verbum Caro factum est*, non versùs cornu Evangelii, sed versùs Crucem genuflectunt. Rubr. Gerlac. cit. §. 6. 6. Qui ad dicta verba genuflectentes Casulæ partem anteriorem ambabus manibus accipiunt, & eam Altari superimponunt, prout multi faciunt ad ℣. Symboli: *Et incarnatus*, *&c.* Cantelm. *cap.* 10. §. 27. 7. Qui finitô ultimô Evangeliô, Altare, librum, aut tabellam Evangelii, vel aliud quidquam osculantur. Gavant. *litt. Z.*

II. *Si* Sacerdos *celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, &* (hoc est, juxta Gav. hîc) vel *Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archi-Episcopo, &* (hoc iterum est, juxta Gav.) vel *Episcopo in Provincia, Civitate, & Diœcesi sua existente, Celebrans dicto*, Placeat tibi sancta Trinitas &c. *dicit*, Benedicat vos omnipotens Deus, *& convertens se ad summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem verò & Legatum, vel alium ex supradictis Prælatis, capite inclinato quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur:* Pater, & Filius, † & Spiritus Sanctus, *benedicens astantes à parte, ubi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælatus prædicti. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archi-Episcopo,*

& Epi-

& Episcopo extra eorum Provinciam, Civitatem, vel Diœcesim constitutis, eis absque alio respectu, ut cæteris, qui intersunt, more consueto benedicit.

III. *Si autem celebravit pro Defunctis, dicto,* Placeat tibi sancta Trinitas, &c. *ut suprà, & osculato Altari, accedit* nullâ aliâ Cruci factâ reverentiâ (Cantelm. *c.* 1. *§.* 5.) *ad cornu Evangelii, & dicit Evangelium S. Joannis prætermissa benedictione, quæ in Missis Defunctorum non datur.*

IV. *Finitô Evangeliô in fine Missæ, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archi-Episcopo, & Episcopo, convertit se ad illum, coram quo ex prædictis celebravit, & facit reverentiam convenientem. Si non celebravit coram aliquo prædictorum; hujusmodi reverentiam prætermittit.*

Est tamen pro hac Rubrica notandum, quod docet Quart. *part.* 2. *tit.* 12. hîc, ℣. *Quintò notatur.* videlicet: Quintò notatur in his Rubricis *num.* 5. ut finitô Evangeliô in fine Missæ Celebrans faciat reverentiam Summo Pontifici, si coram eo celebravit, vel Cardinali, vel Episcopo in sua Diœcesi, non autem aliis, consequenter nec

Episco-

Episcopis extra suam Dioecesim, nec aliis Prælatis inferioribus fit ea reverentia, & multò minùs Principibus Sæcularibus. Nihilominùs Castaldus in Praxi *lib.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 4. *n.* 8. oppositum docet, videlicet, decens esse, ut fiat reverentia, tum Episcopo extra propriam Dioecesim; tum magno Principi, vel Principissæ. Quare dici potest, illis non esse debitam prædictam reverentiam ex vi Rubricæ: cæterùm non prohiberi, & sic permitti posse, quod probabile videtur, & usus confirmat. Hæc ille. Ne igitur in hujusmodi casibus erroneè procedatur, locorum vel Dioecesium legitima consuetudo consulatur, & attendatur.

V. *Omnibûs absolutis, extinguuntur per Ministrum candelæ.* (primò quidem in cornu Evangelii, deinde in cornu Epistolæ, Gav. *litt. F.*) *interim Sacerdos* à cornu Evangelii ad medium reversus factâ Cruci reverentiâ, *accipit sinistrâ Calicem* (revolutâ super eum, hoc est, super Bursam, anteriore parte Veli, Gavant. *litt. G.*) *dexteram ponens super Bursam, ne aliquid cadat, descendit* factâ tamen priùs, dum ab Altaris medio discedit, Cruci reverentiâ (Lohner *p.* 6. hîc, *litt. N.*) *ante infimum gradum Altaris, & ibi in medio ver-*

tens

tens se ad illud, *caput* apertum, sicut initio Missæ (S. R. Congr. 28. *Aug.* 1627. Gav.) *inclinat* cum profunda ipsius etiam corporis inclinatione (Lohner *part.* 6. *litt.* O. Canteim. *cap.* 1. §. 2. *num.* 8. citans Gav. Castald. & alios) *vel si in eo est Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit; & factâ reverentiâ* (non aliam de novo intellige, quàm capitis inclinationem, vel genuflexionem, de qua proximè dictum fuit: neque enim duplex fit reverentia, Gavant. *litt.* H. Bauldr, &c.) *accipit biretum à Ministro*, *caput cooperit*, *ac præcedente eodem Ministro*, *eodem modo*, *quo venerat*, *redit ad Sacristiam*, *interim dicens Antiphonam*, Trium puerorum (quæ in Festis duplicibus duplicatur) *& Canticum*, Benedicite, &c. Ubi ad Sacristiam redierit, tenens Calicem manibus, capite cooperto, Cruci, vel Imagini principali ibidem existenti facit profundam, sive corporis medii inclinationem. Cantelm. *c.* 1. §. 2. *n.* 1. Lohner *p.* 2. *tit.* 32. §. 1. Bauldr. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 5. Si autem non defert Calicem, dictam Imagini vel Cruci in Sacristia reverentiam facit capite aperto. Tum Calice in suo loco deposito, exuit se vestibus sacris, ordine tamen retrogrado, quo se induit; nimirum Casulâ, Stolâ, Manipulô, Cingulô, &c. & eadem, quæ à principio osculatus est,

est, nunc etiam se exuendo osculatur in medio, Stolam videlicet, Manipulum, & Amictum. Gavant. *litt. L.* Cùm se sacrîs vestibûs exuerit, lavet manus, non quòd quidquam immundum ex ipso contactu Sacramenti contraxerit, sed ut potiùs suam commemoret indignitatem, qui se judicat tantîs Sacramentîs celebrandîs indignum, juxta illud Luc. 17. *Cùm hæc omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* Gavant. cit. Gerlac. §. 15.

Si verò dimissurus sit Paramenta apud Altare, ubi celebravit, finitô Evangeliô prædictô ibidem (ut suprà *tit. 1. num. 3.* ℣. *Quòdsi Ecclesia,* dictum) *illis se exuit, & dicit Antiphonam,* Trium puerorum, *cum* Cantico, *&* aliis Orationibus, *ut suo loco ponuntur.*

§. Contra hanc Rubricam offendunt. 1. Qui descendentes ab Altari cum Calice, secundùm suam, aut aliorum particularem devotionem iterum populo benedicunt dicentes: *A subitanea & improvisa morte liberet nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Amen.* vel aliam formulam &c. Gerlac. §. 8. 2. Qui ab Altari discessuri in plano ejusdem caput coopertum inclinant, vel coram Tabernaculo SS. Sacramenti capite cooperto genuflectunt,

flectunt, contra id, quod declaravit S. R. C. 28. *August.* 1627. ut caput apertum inclinent,& capite aperto genuflectant. Idem cit. §. 9. 3. Qui terminatâ Missâ accipiunt biretum, antequàm descendant in planum: imò antequàm faciant solitam genuflexionem, vel inclinationem profundam; uti etiam, qui illud tenent positum supra Bursam. Rubr. Cantelm. *c.* 10. §. 29. 4. Qui redeundo ad Sacristiam sinistrâ Calicem quidem portant, sed dexterâ interim Cingulum, & Stolam solvunt, ac etiam exuendo ordinem retrogradum non observant.

Peractô SS. Missæ Sacrificiô non minorî curâ gratiarum actio facienda, quàm ad Missam celebrandam præparatio præmittenda requiritur. Et profectò summoperè dolendum est, quòd multi deficiant (ut loquitur Cantelm. *c.* 10. §. 4.) non agendo Domino Deo debitas gratias post SS. Missæ Sacrificium, dum non pauci exeunt ex Ecclesia vix dum relinquentes Altare, imitantes in hoc traditorem Judam, qui subitò accepta Communione exivit ex Cœnaculo. Unde quilibet in omni silentio, ac quiete actionum, locutionum, sensuum, & cogitationum, sese contineat; & si propter occupationes diu non potest, paulisper

tamen

tamen, & per quartam minimùm, aut octavam saltem horæ partem, devotè secum meditetur, & intenta cogitatione perpendat, quis, quid egerit, qua fide, qua devotione, quo fine, quo fructu hoc ipsum peregerit; omnéque imperfectum suum, omnem animi languorem, cæcitatem, vincula, ac colligationes vanitatis; malas, ac inveteratas consuetudines, peccandíque pericula & necessitates, sibi ante oculos ponat, & cor suum, omnéque desiderium coram Deo effundat, ejúsque adjutricem gratiam simpliciter imploret & virtute ac fervore illius cibi, quo refectus & animatus est, tota voluntate, animíque contentione, vel unum saltem defectum, in proximi Sacrificii diem expugnandum, extirpandúmque suscipiat. Utque quotidie de virtute in virtutem progrediatur, atque proficiat, quotidie ex vita ac passione Domini nostri JEsu Christi certam alicujus virtutis actionem, omnibus animi viribus imitandam atque exercendam capiat. Nam quòd Sacerdotes multi quotidie, aut frequenter sacrificent, pauci autem ex illis proficiant, & multi vani, omníque solida pietate vacui existant, non alia arbitratur esse causa, quàm quòd sine ullo timore ac devotione tam

Sanctum opus aggrediantur, & perfunctorie, atque ex quadam consuetudine aut necessitate magis, quàm ex sincera & vera devotione perficiant; & mox unà cum Sacris vestibus omnem rei peractæ cogitationem deponant, omnémque internam, & externam pietatis formam exuant, totóque corde, & animo ad fabulas, ad vana & otiosa effundantur. Quod sanè non facerent, si Mediationi sanctæ debito modo aliquamdiu intenti fuissent; & illustriorem in se quotidie custodiæ exterioris & interioris hominis debere esse disciplinam, quàm in Laicis, quando in Festo Paschæ Corpus Domini accipiunt, sentirent. Hæc verè, piè, & sanctè Gerlac. *part.* 2. *tit.* 12. *§.* 14. Age igitur, Christiane Sacerdos, &, quod in Missæ tremendo Sacrificio egisti, recogita; &, quod recogitâsti, tibi applica, ut Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod sumpsisti, & Sanguis, quem potâsti, visceribus tuis adhæreat, & præstet, ut in te, quem pura & sancta refecerunt Sacramenta, non remaneat scelerum macula, sed fiat, & sit tibi contra omnes diaboli nequitias, carnísque & mundi illecebras adjutorium, & remedium sempiternum.

TITU-

TITULUS XIII.

De his, quæ omittuntur in Missa pro Defunctis.

I.

QUamvis Psalmi cum precibus dici solitis pro Præparatione Sacerdotis, ante Missam de *Requiem* omitti possint, sicuti prohibentur dici ab Episcopo ante Missam Defunctorum, in Cæremon. Pap. *lib. 2. sect. 2. cap. 26. & 28.* non tamen omitti debent oscula Crucis in Amictu, Manipulo, & Stola induendis. Gav. *p. 2. tit. 13. num. 1.* Gerlac. *§. 1.*

II. *In Missa pro Defunctis ante Confessionem non dicitur Psalm.* Judica me Deus, &c. *sed pronuntiatâ Antiphonâ*, Introibo ad Altare Dei, *& responso à Ministro*, ad Deum, qui lætificat, &c. *dicitur ℣.* Adjutorium nostrum, *& Confessio, cum reliquis, ut suprà. Cùm Celebrans ad Altare incipit Introitum, non signat se, sed* sinistra super librum posita (Gerlac. §. 2.) *manu dextra extensa facit signum*

Crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Quare errant, qui ad initium Introitûs pollice signant ipsum initium; aut, qui Crucis signum super librum ita efformant, ac si librum ipsum signare deberent: multò magis errant, qui & se ipsos, & librum signant.

III. Porrò in Missis de Requiem *non dicitur* Gloria Patri, *sed post Psalmum repetitur* Introit. Requiem æternam dona eis, &c. Dicitur autem *Requiem æternam dona eis &c.* in Missa semper in numero plurali, quamvis pro uno celebretur. Gerlac. §. 4. *Non dicitur* Gloria in excelsis. *nec* Alleluja: Sequentia tamen *Dies iræ*, semper dici debet, quoties una tantùm dicitur Oratio. Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 4. *Nec* dicitur post *Munda cor meum*, Jube Domine benedicere, *nec* Dominus sit in corde meo, &c. *nec osculatur librum in fine* Evangelii, consequenter nec dicit: *Per Evangelica dicta &c.* Gav. cit. *litt. R.*

IV. Ulteriùs, *non dicitur* Credo, *non benedicitur aqua in Calicem fundenda, dicitur tamen Oratio*, Deus, qui humanæ substantiæ. *Cùm lavat manus, in fine Psalmi*, Lavabo inter innocentes, *non dicitur* Gloria Patri:

Patri: neque illius locò dicendus est ℣. *Requiem æternam*, *&c.* ut dictum est suprà, *tit.* 7. *num.* 6. Post Orationes secretas semper dicitur *Præfatio* communis, & *Communicantes* commune. *Ad* Agnus Dei, *non dicitur*, Miserere nobis: *cujus locò dicitur*, Dona eis Requiem; *nec tertiò*, Dona nobis pacem: *cujus locò dicitur*, Dona eis requiem sempiternam; *neque percutitur pectus.* Plura pro *Agnus Dei*, vide suprà *tit.* 10. *num.* 4. & ℣. *Faciunt contra hanc.* eod. *Non dicitur prima Oratio ante Communionem*, *scilicet*, Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, &c. *nec datur pax.*

V. *In fine non dicitur:* Ite Missa est; *nec* Benedicamus Domino, *sed* Requiescant in pace, idque versùs Altare: & sic dicitur in fine Missæ semper, licèt pro uno fiat Officium Missæ. Gerlac. §. 6. Vide etiam suprà, *tit.* 11. *num.* 1. ℣. *Agunt contra. Non datur Benedictio*, *sed dicto*, Placeat &c. *& osculato Altari*, *dicitur*, *ut suprà*, In principio erat Verbum, &c. *Alia omnia*, *ut in aliis Missis*; quæ proinde ex præcedentibus 12. Titulis, cum erroribus evitandis ibidem ad longum recensitis, etiam in hoc Tit. sive in Missis de *Requiem* applicare, & observare, vel evitare oportet. Cæterùm

pro coronide hujus Tit. notandum est, quòd, quamvis in Missa nunquam dicendus sit ℣. *Gloria Patri*, Canticum tamen & Psalmus post Missam pro gratiarum actione concludantur cum dicto ℣. *Gloria Patri*, ut aliàs. Gerlac. §. 7.

TITULUS XIV.

De his, quæ addenda sunt in Missa, quæ celebratur ad Altare, in quo expositum est SS. Sacramentum.

I.

MOnemur equidem ex antiquorum traditione, & Cærem. Episc. *lib.* 1. *cap.* 12. (prout notat Gerlac. *p.* 4. *tit.* 4. §. 1.) ut abstineamus à Missa coram SS. Sacramento celebranda, licèt in Tabernaculo sit inclusum. Quia tamen potest contingere, & urgere necessitas, vel etiam consuetudo, in plerisque locis à longo tempore servata, vel etiam dies infra octavam Corporis Christi, Oratio 40. hora-

rum,

rum, aut alia hujusmodi, in quibus Missæ solemnes vel privatæ celebrari debent, ideò præsens Titulus, qui in Rubrica Missalis Romani desideratur, sed ab ipso etiam Gavanto hoc ordine tractatur, ob casuum, dubiorúmque frequentiam exactiùs dilucidatus ponitur, & ex probatissimis potissimùm Authoribus juxta Ordinem Missæ collectus proponitur.

Celebrans ergo ad Altare, ubi SS. Sacramentum est expositum, sequentia observare debet.

Primò: Statim, ac Presbyterium, seu Capellam Altaris præfati ingreditur, caput detegit; quod etiam alii (puta Diaconus, Subdiaconus, &c. in Missa solemni) cum eo faciunt. Et cùm egreditur, etiam caput ibidem cooperit. Bauldr. *part.* 3. *cap.* 27. *num.* 17. Gerlac. *part.* 4. *tit.* 4. *num.* 23. Lohner *part.* 4. *tit.* 1. *num.* 1.

II. Quando venit ad altare pro celebratione, & finitâ Missâ ab eodem recedit, facit genuflexionem utroque genu, & caput devotè, ac profundè inclinat: deinceps tamen per Missam genuflectit unico genu. Gav. hîc, *num.* 5. Cantelm. *cap.* 12. *num.* 1. Gerlac. cit. Lohner *num.* 2. qui tamen

men ibidem notanter addit: *Quodsi consuetudo habeat, ut etiam in accessu, & recessu, maximè in privatis Missis, unico tantùm genu flectat, eidem se accomodare poterit.* Ita Lohner cit.

III. Ascendens ad Altare, & posito Calice ex parte Evangelii, antequàm extrahat Corporale de Bursa, genuflectit (quàmvìs id alii hoc loco sine scrupulo omittant) uno duntaxat genu sine inclinatione capitis: & sic debent fieri omnes aliæ genuflexiones, exceptâ ultimâ, quando Sacerdos discedit ab Altari, finitâ Missâ, rediens ad Sacristiam, quæ genuflexio fit, sicut prima, ut *num. præc.* dictum est. Cantelm. cit. *num.* 2.

IV. Aptato Corporali, & posito Calice desuper, genuflectit, & accedit ad Missale, & eodem aperto rediens ad medium iterum genuflectit, ac, nisi ibidem pro renovanda intentione aliquantùm persistat (in hoc enim casu rediens ad medium genuflectit, & iterum intentione renovata) aliquantulùm retrahens se ad cornu Evangelii, descendit in planum Altaris, ibique genuflectit (non tamen insuper, ut aliqui, profundam reverentiam, vel capitis inclinatio-

nationem facit) & incipit Missam. Lohner, *num.* 4. Cantelm. *num.* 2.

V. Post *Deus tu conversus, &c.* dicto *Oremus*, ad Altare ascendit absque eo, ut priùs in plano genuflectat (quod ipsum intellige, si Venerabile in Altari clausum existat) Lohner *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 5. inquiens: Dicto *Oremus*, ad Altare ascendit, non tamen priùs genuflectit (ut aliqui perperàm faciunt) etiamsi Venerabile Sacramentum in Altari sit clausum, vel publicè in eo expositum; cùm Rubrica non præcipiat ejusmodi reverentiam (qualem tamen expressè requirit, cùm primùm Sacerdos sub insimum Altaris gradum descenderit ad incipiendam Missam, ac etiam omnes alias faciendas genuflexiones exactè notat) & prætereà eandem mox facturus sit, ubi ad ipsum Altare venerit. Neque obstat, quòd quando ab Altari ad principium Missæ faciendum, descendit, bis reverentiam facere jubeatur, semel scilicet, quando ab Altari recedit; & iterum, quando in plano consistens ad Altare se vertit; nam cùm in nostro casu conversio ad Altare nova non fiat, meritò reverentia quoque nova exigi non debet Ita Lohner. Postquam autem ad Altare ascendit, antequam incipiat;

Oramus te Domine, &c. genuflectit: quod iterum facit, postquam illud dixerit. Gerlac. cit. Cantelm. cit. *num.* 6. & *seq.* Bauldr. *num.* 20.

VI. Dicto Introitu, rediens ad medium Altaris, antequam ibidem dicat, *Kyrie eleison*, &c. genuflectit. Quod idem facit in Missa Solemni, antequam dicat *Gloria in excelsis*. Gerlac. cit. Bauldr. *num.* 21.

VII. Finito *Kyrie eleison*, & *Gloria in excelsis*, &c. osculatur Altare, & deinde genuflectit; ac conversus ad populum dicit, *Dominus vobiscum*, ubi observandum est, quòd Sacerdos non debeat salutare populum in medio, sed ex parte Evangelii, ne Sacramento dorsum obvertat. Revertens ad medium denuò genuflectit: & sic debet facere in aliis hujusmodi occasionibus, quando convertere se debet ad populum, & antequàm reversus ad cornu Epistolæ dicturus est *Oremus*. Gerlac. cit. Cantelm. *n.* 9.

VIII. Genuflectit in medio Altaris ante, & post *Munda cor meum*, &c. (Gerlac. cit. *num.* 7. Bauldr. *num.* 23.) elevans oculos ad Sacramentum ante primam genuflexionem. Cantelm. *num.* 10. Item, genuflectit in Evangelio, cùm in eo est genuflectendum.

dum, sed versùs librum, Lohner *part.* 6. *tit.* 14. *num.* 34.

IX. Finitô Evangeliô rediens ad medium Altaris, antequam incipiat Symbolum, genuflectit. Quod idem facit ante, *Dominus vobiscum*, ac post illud, priusquàm dicat, *Oremus*, ante Offertorium, etiamsi non dicat Symbolum. Cantelm. *num.* 11. *& seq.* Gerlac. cit. &c.

X. Fit genuflexio, quando, facta Hostiæ oblatione, discedit à medio ad cornu Epistolæ ad infundendum vinum Calicis; quàm positô vinô, ad medium Altaris reversus repetit, antequàm faciat Oblationem Calicis. Cantelm. cit. *num.* 13. *& seq.* Gerlac. cit. Bauldr. *num.* 26.

XI. Dictô, *Veni Sanctificator*, *&c.* & benedictâ Hostiâ cum Calice; absque eo, ut jungat manus ad finem, *Veni Sanctificator*, aut caput inclinet, genuflectit, disceditque à medio Altaris ad cornu Epistolæ ad lavandas manus ibidem, & quidem extra Altare in inferiori gradino prædellæ seu in plano, facie ad populum versâ, Cantelm. *num.* 15. Bauldr. *num.* 27. Quia tamen omnes ferè in nostris partibus supra gradum lavant, poterit se eisdem Celebrans accommodare. Attendat tamen, ne in

hac

hac lotione, extra Altare faciendâ, Venerabili terga vertat. Lohner *num.* 8. *&c.*

XII. Lotîs & abstersîs manibûs, reversus ad medium Altaris, antequam incipiat Orationem, *Suscipe sancta Trinitas, &c.* genuflectit. Quod ipsum facit hac Oratione dicta, ante & post *Orate fratres*, dicens illud in cornu Evangelii, ut suprà; & non perficit circulum, sed illud dicit eo modo, quo *Dominus vobiscum.* Cantelm. *num.* 16. *& seq.* Gerlac. cit. Gav. *num.* 13.

Reliqua usque ad Communionem inclusivè fiunt, ut in aliis Missis. Gav. *n.* 14.

XIII. Postquam sumpsit Sacram Communionem, & purificationem in eodem loco; genuflectit, ut eat ad cornu Epistolæ, & ibi faciat (ut aliàs) ablutionem digitorum. Qua facta, redit in medium, genuflectit, & accipit ibidem ablutionem. Gav. *num.* 18. Bauldr. Gerlac. Cantelm. *num.* 18.

XIV. Compositô, & in medio Altaris collocato Calice, antequam eat ad dicendam Antiphonam, *Communio*, nuncupatam, genuflectit. Id ipsum facit ante, & post *Dominus vobiscum*, eo modo, quo post *Gloria in excelsis.* Item post Orationes ante

Domi-

Dominus vobiscum; post quod immediatè, & in eodem loco dicitur, *Ite Missa est.* Sed *Benedicamus Domino* dicitur, postquam Sacerdos est reversus ad medium Altaris, & postquam ibi fecit genuflexionem. Gerlac. cit. Cantelm. *num.* 19. Bauldr.

XV. Dicto, *Placeat tibi sancta Trinitas, &c.* osculatur Altare, & dicit, *Benedicat vos omnipotens Deus*, inclinans caput ad vocem *Deus*: genuflectit, vertit se ad populum ex parte Evangelii (uti ad *Orate fratres*) dátque benedictionem non perficiens circulum, sed statim absque eo, ut in medium redeat, & ibidem genuflectat, ad latus Evangelii conversus signat librum, aut tabellam ultimi Evangelii, & nullo modo Altare, dicens: *Initium*, vel *Sequentia sancti Evangelii, &c.* Cantelm. cit. *n.* 20. Gerlac. cit. Bauldr. *num.* 12. Lohner *n.* 6. Gavant. *num.* 15. Corsett. Arnaud. In absentia autem tam libri, quàm tabellæ signat solum se ipsum. Cantelm. cit.

XVI. Ad verba: *Et Verbum Caro factum est*, genuflectit quidem, sed paulò versùs Sacramentum, Gav. *p.* 4. *tit.* 8. *num.* 8. Cantelm. *num.* 20. Gerlac. cit. Vide suprà, *tit.* 10. *num.* 7.

XVII.

XVII. Finitô Evangeliô, rediens ad medium genuflectit, accipit Calicem, descendit in planum ex parte Evangelii, & in medio Altaris genuflectit, sicut in principio, in terra plana utroque genu profundè caput inclinans. Vide suprà, *num.* 2. Nec hîc accipit biretum ad tegendum, prout opinantur nonnulli, sed quando egreditur è Capella, vel Presbyterio; ubi etiam, quando venit è Sacristia, illud dare debet Ministro, & non ipsemet portare, maximè supra Calicem. Cantelm. *num.* 21. Gerlac. cit. &c.

TITULUS XV.

De Consecratione Particularum, & de Communione Fidelium.

QUamvis Materia Tituli præsentis, in præcedentibus aliqualiter saltem jam agitata, & tractata inveniatur, ut *tit.* 2. *n.* 3. *tit.* 7. *num.* 3. *Tit.* 8. *num.* 5. *& seq.* ac *tit.* 10. *num.* 5. *& seqq.* nihilominus, cùm non pauci errores observentur

tur tam in Consecratione Particularum, quàm in Communione Fidelium, quæ fieri solet in Missis privatis, haud inconveniens visum est, præfixum specialiter annectere Titulum pro instructione juniorum saltem Sacerdotum, ut hi, quod modò nesciunt, addiscant, & ab eodem, quod juvenes didicerunt, etiam cùm senuerint, non recedant. Dividitur autem præsens Materia in duos Paragraphos, agendo in I. de Consecratione Particularum breviter. II. de Communione Fidelium exactiùs.

§. I.

De Consecratione Particularum.

I.

QUòdsi Particulæ, seu hostiæ pro Communione Populi paucæ sint, uti quinque, vel sex &c. debent eæ poni supra Patenam, & subtus Hostiam majorem ad offerendas illas unà cum hac Hostia simul. Post Oblationem ponantur supra Corporale separatæ ab Hostia,

stia, eo tamen modo, ut remaneant supra Petram sacram, & secundùm usum magìs communem ex parte sinistra Celebrantis, sive ex parte Evangelii. Gerlac. *part.* 2. *tit.* 7. *§.* 6. Cantelm. *cap.* 11. *§.* 1.

II. Si magna sit Particularum, seu Hostiarum minorum quantitas, ut super Patena manere non possint, locat eas vel super Corporale ante Calicem, separatas tamen ab Hostia majori; vel in aliquo Calice consecrato; vel vase mundo benedicto, ut suprà *tit.* 2. *num.* 3. dictum. Quando sunt super Corporale, nunquam moventur, nec ad Oblationem, neque ad Consecrationem. Si sunt in aliqua Pyxide (quo nomine per totum, etiam Ciborium, intelligas) vel Calice cooperto Patenâ, vel Pallâ, vel etiam propriô Pyxidis operculô, Calix, vel Pyxis Particularum collocatur post Calicem Missæ, Rubr. loc. cit. Cantelm. cit.

III. Tempore deinde Oblationis, immediatè, antequàm accipiat Patenam Calicis ad offerendam Hostiam, Calicem illum, vel vas Hostiarum dexterâ discooperit, & intentionem suam etiam ad illas offerendas, & consecrandas dirigens, dicit, *Suscipe*

pe

pe *sancte Pater*, *&c.* absque eo, ut moveatur vel Pyxis, vel Calix à loco suo. Rubr. Miss. *p.* 2. *tit.* 7. *n.* 3. Gav. Bauldr.

IV. Si quis oblitus fuisset offerre Particulas tempore suo, posset, &, si subesset justa causa, deberet eas offerre mentaliter ante Consecrationem. Cantelm. cit. Ex quo patet, quod habet Sargar *de Evchar. num.* 85. videlicet: Æditaus affert particulas consecrandas ad *Orate fratres*, ante Præfationem, an liceat Sacerdoti eas acceptare & consecrare? ℞. Eas licitè consecrari (præmissâ tamen oblatione mentali) docent Diana *p.* 2. *Tr.* 14. *resol.* 71. Gav. apud ipsum. Busenb. *Tr.* 3. *c.* 1. *dub.* 5. *in fine.* Et quidni etiam, modò adsint ante Consecrationem? Omnino concedunt Tambur. & Gobat apud Sporer *p.* 2. *num.* 170. Hæc ille. Quòd si consecrans, aut offerens non recordaretur Particularum, essent tamen oblatæ & consecratæ, etiam si clausæ intra Pyxidem, vel absconditæ post Calicem Missæ, propter intentionem actualem, quam habuit anteà offerendi & consecrandi illas, quæ virtualiter permanet, quando offertur, & consecratur Hostia. Cantelm. cit. Gav. *p.* 3. *tit.* 7. *num.* 4. Debent tamen esse præsentes intra Aram,

M non

non extra eam, aliàs enim non æstimarentur consecratæ, inquit Suarez *disp.* 43. *Sect.* 6. apud Gav. cit. Vid. etiam *Tractat. de Defectib. Miss. fol.* 102. *& seqq.* item, *fol.* 216. ℣. *Quaris.*

V. Ad Consecrationem Particularum juxta Gavant. *part.* 2. *tit.* 8. *num.* 5. *litt. B.* Bauldr. *p.* 3. *tit.* 8. *ad n.* 5. *num.* 1. & alios, antequam accipiat Hostiam majorem consecrandam, & priusquàm dicat: *Qui pridiè, quàm pateretur*, discooperit Pyxidem seu vas aliarum Hostiarum, & si illud collocaverit post Calicem, retrahit illud priùs ad latus ipsius Calicis versùs cornu Epistolæ, ut super ipsas quoque Particulas propiùs verba Consecrationis proferat. Quia tamen Rubrica de ejusmodi retractione nihil dicit (ut advertit ipse Cantelm. cit.) ideò ejusdem omissio passim sine scrupulo practicatur. Consecratione Hostiæ, & Particularum simul factâ, antequàm aliud agat, solita genuflexione adorat Hostiam, illam elevat, atque super Corporale reponit, & genuflexus adorat, ut suprà, *tit.* 8. *n.* 5. dictum. Quo facto, cooperit vas Particularum consecratarum, & reponit in suum locum post Calicem. Cantelm. cit. Lohner *p.* 6. *t.* 8. *n.* 5. *litt. V.*

§. II.

§. II.

De Comunione Fidelium.

I.

POstquàm Sacerdos unam, & alteram speciem, seu Corpus & Sanguinem sumpsit, antequàm accipiat Purificationem, ac etiam vinum pro Purificatione in Calicem infundat, Pallâ tegit Calicem, & eum ultra medium Corporalis à parte Evangelii, non tamen extra ipsum, collocat propter Sacras species Vini adhuc in ejus fundo relictas (Gerlac. *p.* 4. *tit.* 3. *num.* 1.) & facta genuflexione ponit Particulas consecratas reverenter in Pyxide; vel, si pauci sint communicandi, super Patenam; nisi à principio positæ fuerint in Pyxide, seu alio Calice, vel vase competente. Interim Minister ante Communicantes extendit linteum, & pro eis facit Confessionem, dicens: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* Tunc Sacerdos iterum genuflectit, & manibus junctis vertens se ad populum in cornu Evangelii, dicit: *Misereatur vestri &c.* quamvis sit tantùm unus communicandus. Lohner *p.* 2. *tit.* 6. *n.* 3.

Cantelm. c. 11. §. 2. Post *Misereatur*, &c. dicit: *Indulgentiam*, &c. iterum in plurali, benedicens simul communicantes manu dextra signum Crucis super eos faciens, sinistrâ infra pectus positâ. Quo facto ad medium Altaris conversus, versùs Sacramentum iterum genuflectit, accipit manu sinistra Pyxidem, seu Patenam intra indicem & digitum medium ejusdem sinistræ, dextrâ verò sumit unam Particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantulùm elevatam super Pyxidem, seu Patenam, & absque facta capitis inclinatione, conversus ad communicandos in medio Altaris, id est, humerîs versîs ad medium Altaris, etiamsi Sacramentum esset expositum (de quo tamen vide suprà, *tit.* 10. *num.* 6.) & communicantes essent in cornu Epistolæ, vel Evangelii (Cantel. *c.* 11. §. 2.) semel dicit: *Ecce Agnus Dei*, *ecce qui tollit peccata mundi.* Deinde vernaculâ linguâ (si ii, qui communicandi sunt, non calleant latinam linguam, Lohn. *p.* 6. *t.* 10. *num.* 6. *litt. Z.*) ter subjungit, & dicit: *Domine non sum dignus*, *ut intres sub tectum meum*, *sed tantùm dic verbo*, *& sanabitur anima mea.* absque eo, ut addat *Jesu Christe* Dicuntur autem hæc verba à Sacerdote semper integrè, clara voce, & in genere masculino;

no: de quo plura vide suprà, *tit.* 10 *n.* 6. Verbîs prædictîs tertiò repetitîs, accedit ad latus Epistolæ incipiens ibi communicare; sed, antequam porrigat Particulam, facit cum ea super Pyxidem, vel Patenam signum Crucis in altum, eo scilicet modo, quo se ipsum cum Hostia signat (Bauldr. *p.* 3. *tit.* 10. *num.* 6.) circiter medium palmum, non autem per transversum Patenæ vel Pyxidis, &c. non tamen excedat limites earum faciens lineam transversam Crucis. Dum autem Crucem efformat, simul dicit: *Corpus Domini nostri Jesu Christi, custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen:* porrigens deinde unicuique, modô dictô, Particulam indice & pollice. Ubi tamen advertat, ne tangat faciem illius, quem communicat, sed reliquos digitos hunc in finem quasi complicatos teneat. Nec addat, Cruce iterum facta, *Pax tecum*: nisi specialiter id alicubi à Diœcesano Rituali exigatur, prout notat Lohner *part.* 2. *tit.* 26. *num.* 3.

II. Omnibûs communicatîs revertitur ad Altare, nihil dicens; nec dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ, ut præscribit Rubrica: nisi, ut iterum notat Lohner *part.* 6. *tit.* 10. *num.* 6.

aliquibus in Diœcesibus speciale quid, vel ex antiqua consuetudine, vel præcepto, observandum sit. An autem in formula prædicta, *Corpus Domini nostri, &c.* ad verba, *Jesu Christi*, caput inclinandum sit, duplex est sententia, ut videre est apud Cantelm. *c.* 11. §. 2. & licèt hic in affirmativam inclinare videatur, nihilominus subjungit: *Non inclinare autem, æquè non erit error ob sententiam multorum, qui ita volunt, & practicant; ideò una & altera est probabilis.* Hæc ille.

III. Quòd si finita Communione remaneat aliqua Particula in Pyxide, vel Patena, reversus ad Altare reverenter illam sumit absque reverentia, seu genuflexione priùs facienda; quia censetur una actio continua. De hoc vide etiam infrà, *num.* 5. Idem, quoad sumptionem, intellige de Reliquiis Hostiarum in Patena, vel Pyxide restantibus. At si Particulæ restantes essent supra Corporale, & non supra Patenam, seu in Pyxide, ex qua communicaverat, facta genuflexione, accipit illas Particulas supra Patenam, & sine alia genuflexione eas consumit. Cantelm. cit. Quibus consumptis extergit Corporale cum Patena, & si quæ in ea fuerint fragmenta, in

Cali-

Calicem immittit. Deinde dicit: *Quod ore sumpsimus*, *&c*, & se purificat.

IV. Si Particulæ consecratæ fuissent in aliquo Calice, vel Pyxide, sumptô Sanguine ut suprà, & suâ Pallâ cooperto Calice Missæ, adducit ad se Pyxidem, & illâ detectâ genuflectit. Genuflexione facta, vertit se ad populum, ut dicat, *Misereatur vestri*, *&c.* ut suprà: postmodùm reversus ad Altare genuflectit versùs Sacramentum, & facit reliqua, ut suprà. Utrùm autem cum Pyxide etiam Purificatorium ad abstergendos digitos accipiendum sit, conveniunt (Rubricâ de hoc nihil ordinante) id quidem fieri posse, sed vitandum omnino esse errorem illorum, qui sæpiùs abstergunt digitos non attendentes, si fortè aliqua Particula eisdem inhæserit cum manifesto periculo, ne in terram multa fragmenta decidant pedibûs conculcanda. Quare, vel omittat Purificatorium (prout magis decet, Lohner *p.* 2. *tit.* 26. *num.* 3.) vel, si accipit, applicet ea, quæ tenet Cantelm. *c.* 11. §. 2. dicens: Mihi placet in isto casu opinio Quarti, Dianæ, & aliorum, qui dicunt, quòd Sacerdos, ne introducat novam Rubricam, portans Pyxidem cum Purificatorio, procuret, ne humectet di-

gitos in ore communicantium, accipiens Particulas in extremitate, & non in medio. Quart. *p.* 2. *tit.* 10. *Sect.* 3. *dub.* 3. *diffic.* 4. Diana *part.* 2. *Tr.* 13. *resol.* 34. §. *Quæro.* Ad summum, si aliquis humefecisset digitos, poterit observare, utrùm digitis adhæreant fragmenta, quæ in Pyxidem projiciat, detergendo digitos, & inter se leviter confricando, prout nonnulli faciunt; si hoc non sufficeret, factâ debitâ diligentiâ, ut illa fragmenta in Pyxidem decidant, digiti possunt detergi Purificatoriô, quod proinde postmodùm non debet adhiberi ad alias Missas, nisi postquàm lotum fuerit. Hæc circumspectè Cantelm. Quibus adde, quòd omnino etiam conveniens esse censeatur, ut aliud Purificatorium ab eo, quô in SS. Missæ Sacrificio ad extergendum Calicem usus est, pro Fidelium communione adhibeatur.

V. Facta ex Pyxide Communione, revertitur ad Altare, ubi, si remanserint aliquæ Particulæ, & non adsit custodia pro Pyxide, sine alia genuflexione illas reverenter absumit, ut dictum *num.* 3. & postmodùm purificat Pyxidem ab omni fragmento, faciens illud cadere indice manûs dextræ in Calicem; vel (quod docet Ga-

vant.

vant. *p.* 2. *tit.* 10. *num.* 7. *ad finem*) colligit in Pyxidis fundo fragmenta omnia diligentissimè cum indice dextræ manûs (quæ etiam cum eodem linguæ admoto sumi poterunt) ita, ut nullum remaneat fragmentum. Deinde infundi potest paululùm vini, quo circumacto intra Pyxidem, & tergente indice, tota pars interior abstergatur. Quo hausto, vel in Calicem infusô (juxta Cantelm. cit. §. 3.) exsiccabitur Pyxis interior undequaque Purificatorio, & fiunt reliqua de more pro Calicis purificatione. Hæc Gav. Arnaud. *part.* 2. *tit.* 10. *num.* 23. Hîc tamen pessimè faciunt illi, qui purificant quidem Pyxidem, at nec digitîs, nec vinô, sed solô Purificatoriô, dispergentes fragmenta eidem adhærentia, quæ meliùs remanerent in Pyxide non purificatâ, quàm ut dispersa pereant.

VI. Quòdsi adsit Custodia, & remanserint aliquæ Particulæ consecratæ, clausa Pyxide, & facta genuflexione, reponit eam in Custodiam, & antequàm claudat illam, denuò genuflectit. Sed si Particulæ, vel omnes, vel aliquæ essent super Corporale, priusquàm eas à Corporali accipiat, genuflectit, & immittit Pyxidi; immissis illîs

claudit eam, ac reponit in Tabernaculum, & antequàm illud claudat, iterum genuflectit.

VII. Sed quid, si debet mutare Particulas recenter consecratas in Pyxide cum aliis, quæ in alia Pyxide conservantur in Tabernaculo? ℞ Facta sumptione Sanguinis, & Pallâ cooperto Calice, ac parumper ad cornu Evangelii remotô (semper tamen super Corporale) aperit Custodiam, genuflectit, accipit Pyxidem, & aperta utraque Pyxide denuò genuflectit; deinde absumptîs Particulis antiquioribûs, & purificata Pyxide (applicando ea, quæ suprà *num.* 5. ex Gav. notantur) immittit recenter consecratas Particulas in Pyxidem purificatam, illam claudit, & sine osculo pedis, vel alterius ejusdem partis reponit in Tabernaculum, & antequàm illud claudat, genuflectit. Cantelm. cit. *num.* 3.

VIII. Ulteriùs notandum est, quòd, quando consecratæ fuerunt aliquæ Particulæ supra nudum Corporale, eum in finem, ut tantùm conserventur in Tabernaculo, ante sumptionem Sanguinis debeant reponi in Pyxidem, uti expressè notat Rubr. *tit.* 10. *num.* 5. quæ ordinat, ut fiat genu-

flexio,

flexio, antequàm illæ tangantur, & imponantur in Pyxidem: quibûs repositis & clausa Pyxide, discooperitur Calix, & genuflectitur. Deinde colliguntur fragmenta; & sumitur Sanguis, & post purificationem Calicis, ante ablutionem, aperitur Tabernaculum, genuflectitur, sive sit, sive non sit Sacramentum in Tabernaculo, & reposita Pyxide, antequàm illud claudatur, fit iterum genuflexio. Idem fit, quando Particulæ fuerunt consecratæ in aliqua Pyxide pro asservatione, & ipsa Pyxis includenda est Tabernaculo: hoc est, sumpta purificatione Calicis, aperitur Tabernaculum, fit genuflexio, antequàm reponatur Pyxis, & repositâ illâ, denuò fit genuflexio, priusquàm claudatur. Idem cit.

IX. At verò, si consecrat Particulas supra Corporale ad permutandum cum antiquis in Tabernaculo, & debet simul communicare; post sumptionem Sanguinis cooperit Calicem Pallâ, & remotô illô parumper à parte Evangelii, ut suprà, aperit Tabernaculum, genuflectit, extrahit Pyxidem, illam detegit, & denuò genuflectit ad dicendum, *Misereatur*, *&c.* & ad communicandum modô suprà dictô. Finita communione absque facta prævia genufle-

nuflexione (ut suprà, *n.* 3 *&* 5. dictum) consumit Particulas antiquas, purificat Pyxidem, & antequàm Particulas de Corporali sumptas in Pyxidem ponat, genuflectit; repositis illîs in Tabernaculum, priusquàm claudat, iterum genuflectit, & cætera prosequitur.

X. Quando verò oportet illas Particulas relinquere supra Altare clausas in aliquo vasculo, vel Corporali, observentur ea, quæ suprà *tit.* 10. *num.* 7. dicta sunt.

XI. Si Particulæ non consecrantur in Missa, sed jam consecratæ extant in Tabernaculo, non venit particulare quid circa dispensationem Communionis, sive sit ante Missam, sive in Missa, sive post eam. Si fiat in Missa, Sacerdos facta sumptione Sanguinis, removet Calicem ad cornu Evangelii, sed supra Corporale, & illo Pallâ cooperto aperit Tabernaculum, genuflectit, Pyxidem extrahit, illam detegit, denuò genuflectit, & reliqua peragit, ut suprà. Finita Communione claudit Pyxidem, eâ clausâ genuflectit, & repositâ in Tabernaculo iterum facit genuflexionem, priusquàm illud claudat.

XII. Si

XII. Si verò communicat ante, vel post Missam, extendit Corporale supra Altare, removet Calicem coopertum velô ex parte Evangelii extra Corporale, & observat illud ipsum, quod *num.* 9. dictum est, quando extrahit Sacramentum ex Tabernaculo. Communione finita, antequàm reponat Sacramentum, diligenter advertit, ut si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in Pyxidem deponat, & eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, in vino ablutionis intingat, & abstergat Purificatoriô; quibûs abstersîs genuflectit, reponit Pyxidem in Tabernaculum, & facit novam genuflexionem, antequam illud claudat: quo clauso, dat benedictionem dicens versùs Crucem junctîs manibûs: *Benedictio Dei omnipotentis*, & posteà versùs populum dicit: *Patris* † *& Filii*, *& Spiritûs sancti*, benedicens manu dextra extenta, ut in Missa, adjungens: *Descendat super vos*, *& maneat semper*. ℞. *Amen.* Quæ benedictio dari debet tam ante, quàm post Missam manu, & nunquam Pyxide, prout multi faciunt apud Moniales, quibus communicantibus in ipsa Missa (quod idem de aliis intellige communicantibus) non debet dari alia benedictio, quàm illa in Missa, ne expressè agatur con-

tra

tra Rubricam *p.* 2. *tit.* 10. *num.* 6. dicentem: *Omnibus communicatis revertitur ad Altare, nihil dicens: & non dat eis benedictionem, &c.* Rit. Rom. Tit. *Ordo ministr. Sacr. Commun.* Cantelm. cit. *§.* 4. Excipe, nisi aliquibus in Diœcesibus speciale quid observandum sit, ut notatum est supra, *t.* 10. *n.* 6.

Cæterùm, quamvis dictum sit, populo ante vel post Missam, &c. communicato benedictionem sola manu, non autem Pyxide, seu Ciboriô dandam esse, notandum est, quòd nihilominus in locis, ubi consuetudo dandi hanc benedictionem cum Ciborio legitimè viget, sese eidem quisque bene, & laudabiliter (maximè ad excitandam & fovendam populi devotionem) accommodare valeat. Quare hanc consuetudinem secutus, omnibûs communicatîs, digitos abluit, Pyxidem cooperit, & facta genuflexione Venerabile seu Pyxidem manibus (id est, dextrâ nodum, sinistrâ pedem) assumens, absque facta capitis inclinatione vertit se ad populum, faciénsque signum Crucis semel super eum, nihil dicens (prout in simili notat Rit. Rom. Tit. *De Commun. infirm.* Lohner *p.* 4. *tit.* 1. *num.* 7.) à dextera sua ad sinistram circulum perficit, atque mox illam in Taberna-

culum

culum reponit, genuflectit, claudit, &c. Quòdsi petas, an non laudabiliter hujusmodi Benedictio dari possit ante Communionem populi absque eo, ut eadem iterum detur facta Communione? ℞. Benedictionem hujusmodi ante populi Communionem dare, esse saltem præter Rubricam: Benedictionem autem facta Communione (extra Missam) omittere, esse contra Rubricam: quæ in Rituali Rom. *Tit.* 24. §. 18. expressè præscribit, dicens: *Benedicit iis, qui communicârunt.*

XIII. Denique, quando oportet communionem administrare in alia occasione, nimirum nec immediatè ante Missam, nec post, nec etiam intra eandem; Sacerdos lotîs priùs manibûs (prout Rit. Rom. *num. præc. cit.* præcipit) superpelliceô indutus, ac desuper, Stolâ coloris Officio illius diei convenientis, præcedente Clerico, seu aliô Ministrô, procedit tectus biretô ad Altare manibûs junctîs, & accensîs duobûs saltem in Altari cereîs. Adveniens ad Altare genuflectit, ascendit ad Altare, extrahit Corporale de Bursa (quæ priùs in eodem Altari cum Purificatorio in cornu Epistolæ collocatô supponitur) qua deposita in cornu Evangelii, illud de more extendit,

tendit, Purificatorium sibi propiùs parat, Tabernaculum aperit, genuflectit, & statim iterum surgit, Pyxidem extrahit, in medio Corporalis ponit, velô & operculô ab ea remotîs rursus genuflectit, & ibidem stat versùs Altare usque ad factam à Ministro Confessionem. Eâ factâ, iterum genuflectit (nisi eam Minister anteà, vel, dum actu operculum à Pyxide removetur, absolverit, quia tunc hæc genuflexio omittitur) surgit, vertit se ad populum, & reliqua peragit, uti quando communicat ante, & post Missam, ut suprà dictum. Rit. Rom. Bauldr. &c. Quibûs omnibûs peractîs reponit Corporale in Bursam, quam relinquit in eodem loco, quo priùs erat, descendit in planum, genuflectit uno genu, sicut quando advenit (Cantelm. cit. §. 5. (& cum Ministro eodem modo, quo venerat, ad Sacristiam revertitur. Bauldr. *part.* 3. *cap.* 8. *&c.*

XIV. Quia tamen multi, nec Bursam cum Corporali in ejusmodi casibus ad Altare deferri faciunt, nec etiam post Missam immediatè, Corporale de Bursa super Calicem positâ, & velamine in parte anteriore revoluto tectâ, pro facienda communione extrahunt, sed cum Palla contenti,

Pyxi-

Pyxidem eidem substratæ, superimponunt alios communicaturi; idipsum saltem ob consuetudinem introductam retineri, & practicari poterit. Castald. *lib.* 2. *Sect.* 14. *cap.* 7. *num.* 10. dummodo tamen pro abstergendis digitis Sacerdotis Synaxin distribuentis Purificatorium adhibeatur, prout expresse præcipit Rit. Rom. locô *num.* 12. cit.

XV. Notandum etiam est, quòd nunquam sit relinquendum apertum Tabernaculum, quando in illo aliqua consecrata asservatur Hostia. Quando verò Sacerdos communicat, ubi Sacramentum est expositum, transiens per unam partem ad aliam, non debet ullam facere reverentiam versùs Sacramentum expositum, sed solummodò attendere ad Sacramentum, quod tenet in manibus: & sic pariter est observandum, si, dum alios communicat, fiat elevatio Hostiæ, vel Calicis in aliqua vicina Missa, aut si transiret alius Sacerdos cum Viatico, Cantelm. cit. §. 5. Oportet tamen, ut in his casibus à Communione nonnihil desistat, & conversus ad Altare, stans expectet, donec elevatio finita sit, vel Sacerdos cum Viatico transierit.

XVI. Utrùm autem hactenùs dicta locum etiam habeant in Missis de Requiem, dictum est suprà, *tit.* 10. *num.* 6. ℣. *Si Particula.*

XVII. Ultimò dubitatur, casu quo aliquis consecravit Particulas supra Corporale pro facienda Communione, utrùm debeat abstergere Corporale Patenâ in ea parte, in qua fuit Hostia, ante, vel post sumptionem Calicis? Pro hoc dubio solvendo, alii tenent affirmativam, seu, abstergendum esse Corporale ante sumptionem Calicis; alii autem judicant esse meliùs (saltem, ne multiplicentur actus sine necessitate) abstergere post dispensationem Particularum, ut notat Cantelm. cit. §. 8. Observet ergo in hoc puncto quilibet, quod melius, & præsertim Rubricæ conformius judicaverit.

XVIII. Tandem quia non rarò evenit, ut Sacerdos post peractam Communionem Reliquias aliquas ex Particulis distributis relictas reperiat, & propterea non pauci turbantur, nescientes, quid cum iis incipere debeant; ideò, ut in hoc etiam casu sciat Sacerdos se citò resolvere, sequentes tres Regulæ à bonis Authoribus traditæ

ei

ei servire poterunt. Prima Regula: *Quoties Reliquiæ sive parvæ, sive magnæ ex eodem Sacro relictæ deprehenduntur, etiam post ablutionem sumi possunt.* Rubr. §. 8. de defect. Miss. *num.* 2. quia pertinent ad idem Sacrificium. Secunda Regula: *Quoties Particulæ commodè asservari non possunt, licitè sumuntur non tantùm in Altari post ablutionem, aut Communionem etiam bene longam finito primùm Sacro factam, sed etiam post regressum in Sacristiam, vestésque Sacras exutas, sive ex eodem, sive ex diversis Sacris sint relictæ.* Ita Gobat. *n.* 422. cum Lugone, Suarez, Palao, Bonac. & aliis. Quia in tali casu præceptum de irreverentia cavenda præferendum est præcepto de Evcharistia à jejuno sumenda. Tertia Regula: *Quoties Reliquiæ ex alieno Sacro sunt relictæ, & sine periculo irreverentiæ asservari possunt, rectiùs asservantur.* Ita Suar. Tanner. & alii: Gobat *loc. cit.* licèt ibidem Palao & Bonac. doceant, consultum quidem, non tamen necessarium esse, ut hoc fiat.

Hæc Lohner *part.* 2. *tit.* 26. *num.* 6.



TITULUS XVI.

De Missa Privata coram Episcopo in propria Diœcesi.

I.

MIssæ privatæ coram Episcopo in loco suæ Jurisdictionis celebratæ, eædem sunt Ceremoniæ, quæ coram Patriarcha, vel Archi-Episcopo in tota ipsorum Provincia; coram Nuntio, & Legato Apostolico in locis suæ Legationis; coram Cardinale in quocunque loco. Gerlac. Bauldr. *p.* 3. *cap.* 10. Cantelm. *tit.* 13. §. 1. citans Cærem. Episc. *l.* 1. *c.* 30. Imò juxta Sarnell. *part.* 3. §. 4. & alios, coram Episcopo, & Archi-Episcopo extra suam Diœcesim, vel extra Provinciam, sed in privato ipsorum Oratorio, fiunt eædem Cæremoniæ, quæ in loco Jurisdictionis eorum.

II. Celebrans igitur coram Episcopo loci accedit ad Altare manibûs junctîs sine Calice (nam hic priùs præparari debet in medio ipsius Altaris super Corporale extensum,

tensum, una cum Missali aperto in cornu Epistolæ, Bauldr. cit) & si necdum advenit Episcopus, conveniens est, ut illum expectet stans ex parte Epistolæ, prout volunt Tonnell. Sarnell. & alii apud Cantelm. cit. *§*. 2. Postquàm advenit, vertit se Celebrans ex loco, ubi expectaverat, & profundè inclinatus (nisi mos ferat, ut mediocris genuflexio fiat, quod & in sequentibus nota) ipsum salutat. Deinde transiens ad medium Altaris salutata Cruce, ut aliàs, descendit in planum ex cornu Evangelii (si tamen Episcopus, juxta Cæremon. Episc. *lib.* 1. *cap.* 30. versùs medium Altaris, vel ex parte Epistolæ Missam audit.) Quòdsi Episcopus vel ob situm, vel ob aliam causam staret ex parte Evangelii, inchoat Missam ex parte Epistolæ; & posset etiam incipere in medio Altaris, si Prælatus foret in tali situ, ut commodè posset sese inclinare absque eo, ut ipsi tergum obvertat. Cantelm. cit. *§*. 2.

III. Postquàm in planum (ut dictum) descendit, ibi conversus aliquantulùm ad Episcopum expectat signum Missæ incipiendæ; Rubr. *part.* 2. *tit.* 3. *num.* 2. Datô signô, profundè inclinat se Episcopo, & conversus aliquantùm ad Altare, incli-

N 3 nat

nat se profundè eidem, vel genuflectit, si ibi sit Tabernaculum SS. Sacramenti, & postmodùm incipit Missam juxta morem. Bauldr. cit. &c.

IV. Sunt tamen alii, qui, si Sacristia vicina Altari sit, præparatîs omnibûs necessariis, Calice, & Missali in Altari, expectant vestiti in Sacristia adventum Prælati, seu Episcopi; quo adventante exeunt manibus junctis, & capite tecto ex Sacristia versùs latus Altaris magis vicinum, ubi detegentes, profundè se inclinant Episcopo, recipientes eodem tempore signum; deinde factâ debitâ Cruci reverentiâ incipiunt Missam. Meliùs tamen est, quantùm possibile erit, observare Rubricam, hoc est, incipere semper Missam ex parte Evangelii. Gav. *part.* 2. *tit.* 3. *num.* 2. Cantelm. cit. §. 2. Si quis accedat ad Altare cum Calice, transiens Prælatum ipsum salutat quidem, sed inclinatione mediocri, & capite tecto, nisi consuetudo aliud exigat; accedens autem sine Calice, capite detecto, & profundè inclinatus id facit. Idem cit.

V. Missâ inchoatâ, in *Confiteor*, non dicitur, *vobis fratres*, *& vos fratres*, sed *& ti-*

bi

bi Pater, & *te Pater*, versùs Episcopum cum profunda inclinatione eidem factâ. Rubr. *part.* 2. *tit.* 3. *num.* 8. Bauldr. cit. *num.* 2. Lohner *p.* 4. *tit.* 6. *num.* 3.

VI. Dictô *Oremus*, antequàm ascendat ad Altare, denuò profundè se inclinat versùs Episcopum, *accedit ad medium Altaris ante infimum gradum*, & *ibi incipit secretò*: Aufer à nobis, &c. *ut in Ordine Missæ*. Rubr. Lohner cit. *num.* 4. Bauldr. cit. *num.* 3.

VII. Finitô Evangeliô Celebrans non osculatur initium ejus, nec dicit, *Per Evangelica dicta*, &c. sed Minister (qui juxta Cærem. Episcop. *lib.* 1. *c.* 30. deberet esse Capellanus Episcopi superpelliceô indutus, Cantelm. cit. *§.* 3. Bauldr. *p.* 3. *c.* 10. *n.* 5.) defert Missale ad Prælatum, & sine genuflexione stans eidem deosculandum illud offert; & tum post osculum idem Minister claudit librum; illúmque facta tunc genuflexione Prælato, & non priùs, defert ad cornu Evangelii, & sic aptat, ut Celebrans ex eo Offertorium, &c. commodè legere possit. Bauldr. cit. *num.* 4. & *seq.* Lohner, &c. Alia librum deferendum, & osculum concernentia, præsertim præsentibûs pluribûs Prælatîs, aut Personîs Principibûs, &c.

&c. vide suprà, *tit.* 6. *num.* 2. quibus adde, quòd, si fortè adsint multi Prælati, ipso Episcopo majores, liber detur osculandus digniori tantùm. Bauldr. ibid. nisi ex consuetudine aliud sit faciendum.

VIII. Dictâ prima Oratione post *Agnus Dei*, ante Communionem Celebrans osculatur Altare in medio, & postmodùm Instrumentum Pacis à Ministro oblatum, dicens: *Pax tecum*, absque eo, ut versùs eum producat signum Crucis (Gerlac. suprà, *tit.* 10. *num.* 3. cit.) & prosequitur alias Orationes, &c. ante Communionem. Minister autem, qui durante prima Oratione manet genuflexus à dextris Celebrantis, statim, ut Celebrans Altare in medio osculatur, surgit, & Instrumentum Pacis porrigit eidem, qui illud osculatur, ut suprà, dicens: *Pax tecum.* & Minister respondet, *Et cum Spiritu tuo.* Tum factâ Sacramento genuflexione, defert Instrumentum Pacis osculandum ad Episcopum sine inclinatione, licèt post ejus osculum eidem genuflectendo reverentiam faciat. Si ibi sit Episcopus dignior, ad illum defertur Instrumentum Pacis deosculandum, & posteà successivè ad minùs dignum. Si sint omnes æquales, posset dari osculandum illi, qui

qui occupat primum locum, vel magis vicino Altari, & successivè aliis. Dicit autem cuilibet, *Pax tecum*, cui ipsi pariter respondent: *Et cum Spiritu tuo.* At nulli ante, sed post osculum tantùm, reverentiam facit. Bauldr. cit. *num.* 6. Gav. *p.* 2. *tit.* 9. *n.* 2. *litt. F.* &c.

IX. Ad finem Missæ, antequàm det Benedictionem, dictô, *Placeat tibi sancta Trinitas, &c.* & *Benedicat vos omnipotens Deus*, ut aliàs, convertit se ad Episcopum, & capite inclinato (juxta Cæremon. Episc. *lib.* 1. *cap.* 30. factâ ei profundâ reverentiâ) quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur: *Pater, & Filius* † *& Spiritus sanctus*: benedicens astantes à parte, ubi non est Episcopus; videlicet, ex parte Evangelii, si Prælatus stat in medio, vel ex parte Epistolæ. Rubr. *p.* 2. *tit.* 12. *num.* 3. Lohner cit. *num.* 7. Cantelm. cit. *Si autem celebravit coram Patriarcha, Archi-Episcopo, & Episcopo extra eorum Provinciam, Civitatem, vel Diœcesin constitutis, eis absque alio respectu, ut cæteris, qui intersunt, more consueto benedicit.* Rubr. *loc. cit.*


X. Finitô ultimô Evangeliô, conversus Celebrans versùs Episcopum adhuc stans in cornu Evangelii (Bauldr. cit. *num.* 8.) profundè se ipsi inclinat, & postmodùm

expectat, usquedum discesserit Prælatus, seu Episcopus; quo discedente revertitur & ipse ad Sacristiam. Lohner cit. *n.* 8. &c.

XI. Venit quidem hoc loco unum adhuc notandum; cùm verò illud jam habeatur suprà *tit.* 12. *num.* 4. ℣. *Est tamen.* hîc ejusdem repetitio prætermittitur. Solùm additur, quod scribit Cantelm. *cit.* videlicet: Conveniens videtur, ut Sacerdos celebrans in præsentia talium Prælatorum (puta Episcopi, Archi-Episcopi, Nuntii, & Legati extra ipsorum Diœcesin, Provinciam, vel locum Legationis, & in publica Ecclesia) accedens, vel rediens ab Altari, transiens ante ipsos faciat iisdem debitam reverentiam, hoc est, mediocrem, & capite cooperto, si portat Calicem: profundam, & capite detecto, si non portat Calicem: ulterius, mittat ipsis osculandum Instrumentum Pacis, & finitô ultimô Evangeliô, faciat ipsis profundam inclinationem ab Altari. Hæc ille, citans Quart. Castald. & alios.

Cæterùm, cùm in similibus casibus subinde speciales ritus & consuetudines locorum, & Diœcesum, &c. existant, ideò, ut Sacerdos omnia bene peragat, ejusmodi ritus, ac consuetudines observare, seséque accommodare non omittat.

PARS



PARS SECUNDA.

DE

Missis Votivis, ac de Requiem, nec non

De Orationibus in Missa dicendis, & aliis promiscuè.

PRÆNOTANDUM.

I.

ETsi præsens Materia pauca notabilis difficultatis continere, nonnemini videatur, re ipsa tamen (ut consideranti patet) eadem nedum Tyronibus, sed etiam diu exercitatis Sacerdotibus ponderosum dubitandi cumulum subministrat. Quare operæ pretium haud exiguum visum est, si in gratiam, solatium, & auxili-

xilium Sacerdotum dubitantium, ejusmodi dubia in unum collecta, exactiùs discussa, &, quantum possibile, juxta ipsius Missalis Romani Rubricas, aut saltem juxta probatissimorum Authorum mentem resoluta proderentur.

II. Ut autem isthæc perampla materia utiliter pertractetur, ea in tres divisa Titulos proponitur, agendo in I. de *Missis Votivis*: II. de Missis de *Requiem*: III. de Orationibus in Missis dicendis, & aliis promiscuè.

III. Antequàm verò de singulis agatur, sciendum, & notandum est, Missas Votivas, & de *Requiem* privatas (de quibus in hac II. Parte ex professo, & per se tractabitur) dici posse, quocunque die Officium non est Duplex, aut Dominica, Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 4. *num.* 3. ac *tit.* 5. *num.* 3. & illîs diebûs, quibûs prohibetur fieri de Festo duplici. Quare non possunt dici Votivæ Missæ privatæ, neque de *Requiem* infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, & Pentecostes, nec non in Feria quarta Cinerum; in Hebdomada majori, in Dominicis, & in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes. S. R. Congr. 28. *Aug.* 1627.

1627. Nec dici possunt infra Octav. Nativit. D. N. J. C. S. R. C. 25. *Septemb.* 1706. confirmat. à Clem. XI. 29. *Septemb.* 1714. Neque infra Octavam Corporis Christi. Clemens X. 13. *Septemb.* 1670. Neque in Vigilia Epiphaniæ. S. R. Congr. 27. *April.* 1697. item, 10. *Decemb.* 1718. & 16. *Septemb.* 1730. Neque in Duplicibus. S. R. C. 5. *August.* 1662. non obstante contraria Testatorum voluntate; exceptîs Anniversariîs, & Missîs cum cantu ex dispositione Testatorum, recurrente ipsorum obitûs die, etiamsi incidat in Festum *dupl. maj.* S. R. C. 22. *Novemb.* 1664. & 23. *Septemb.* 1669. Pitton. *num.* 248. Possunt tamen eædem dici in Dominicis anticipatis post Epiphaniam, & Pentecosten. Gav. *p.* 1. *tit.* 4. *num.* 3. *litt.* O. ℣. *Dubitatum est.* Gerlac. *part.* 1. *tit.* 4. §. 17. Arnaud. *part.* 1. *tit.* 4. *n.* 4. Quòd si igitur diebûs hactenùs recensitîs petantur Missæ Votivæ, vel de *Requiem*, etiam in Altaribus privilegiatis, dicantur (nisi de alio speciali Privilegio, &c. constet) de die, vel Festo occurrente, cum applicatione juxta petentium intentionem: nec dubitandum, quin tali modo obligationi propriæ, &c. satisfiat. Vide infrà. *tit.* 2. §. 1. *num.* 8.

IV.

IV. Præfata autem de *Festo Duplici* (nam de aliis hîc notatis nullus est ambigendi locus, cùm universos concernant) non sunt intelligenda ita, quasi quilibet Officium de Feria, Simplici, Semiduplici, &c. recitans, possit pro libitu suo dicere Missam Votivam, vel de *Requiem*: nam ly *Duplex* non Sacerdotem celebrantem, sed Ecclesiam, in qua celebrat, afficit, prout colligitur ex Decreto *num. seq.* descripto, in quo legitur: *Curent Ecclesiarum Rectores, &c. ut hujusmodi Decretum inviolatum servetur, & in Sacristia affixum retineatur, ubi commodè ab omnibus celebrare volentibus conspici & legi possit.* Non dicitur, ab iis, qui *Officium duplex recitaverint*, sed *ab omnibus celebrare volentibus.* Unde notanda sunt sequentia: *Primò*: Sacerdos Sæcularis, qui vadit ad celebrandum in Ecclesia Regularium, in qua celebratur Festum Duplex, quamvìs solùm sit Festum particulare illius Ecclesiæ, vel Religionis, non potest ibi celebrare Missam *de Requiem*, quamvìs illi faciant Officium de Simplici, Feria, vel Semiduplici. S.R.C. 9. *Jan.* 1688. ex Fagiol. Annot. in Jan. *litt. E. n.* 4. *Secundò:* Sacerdotes (sive Capellani sint, sive non) qui recitant Officium semiduplex, simplex, vel feriale, si celebrent in aliqua Ecclesia Regularium, in

qua

qua fit de Festo duplici, non debent dicere Missam de *Requiem.* Quæ doctrina locum etiam habet, quamvìs illud Festum duplex fuerit translatum. S. R. C. 31. *Jul.* 1665. Quòd si Festum illud duplex, de quo agunt Regulares (sub quo nomine veniunt etiam Moniales) habuerit Missam propriam omnibus, & solis Regularibus concessam, Sacerdotes Sæculares celebrantes in eadem Ecclesia Regularium, Missam quidem dicant de Festo duplici, sed cum Missali Romano, ex Decret. S. R. C. 19. *Novemb.* 1622. Ita Pitton. *num.* 254. citans Decret. S. R. Congr. 9. *Jun.* 1668.

V. Cæterùm Decretum suprà, *num.* 4. annotatum, est sequens.

DECRETUM

De non celebrandis Missis privatis pro Defunctis in Festis Duplicibus.

CUm Sanctissimus Dominus noster in Visitatione Ecclesiarum Urbis acceperit, in plerisque Ecclesiis abusum irrepsisse celebrandi Missas privatas pro Defunctis etiam in Festis dupli-

duplicibus contra præscriptum Rubricarum Missalis Romani: eundémque abusum Decreto Congregationis eliminari præceperit. Innotuerit verò S. R. Congregationi, hujusmodi abusum etiam in aliis Ecclesiis ubique gentium existentibus inductum pariter reperiri. Sac. eadem Congregatio, ut Missalis Rubricæ inviolatæ serventur, districtè præcipit omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cujusvis Ordinis, Congregationis, & Societatis, & Instituti etiam necessariò exprimendi, ut imposterum omnino dictam Rubricam servent, ita ut Missas privatas pro Defunctis, seu de Requiem, in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præsumant. Quòd si ex Benefactorum præscripto Missæ hujusmodi celebrandæ incidant in Festum duplex, tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio Animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii, juxta mentem eorundem benefactorum. Curéntque Ecclesiarum Rectores, Sacristæ, aliíque ad quos pertinet, ut hujusmodi Decretum inviolatum servetur, & in Sacristia affixum retineatur, ubi commodè ab omnibus celebrare volentibus conspici & legi possit. In eos autem, qui contrafacere ausi fuerint, vel præmissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii, tum Sæculares, tum Regulares pro modo culpæ animadvertant. Die 5. Aug. 1662.

Et

Et facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua annuit, & cum applicatione Sacrificii satisfieri, ac Benefactorum mentem impleri voluit eadem die 5. August. 1662. Episc. Sabien. Cardinal. Sachetus.

Loco † Sigilli. Fr. Maria Phœbeus Sac. Rit. Congr. Secr.

Hîs prænotatîs, servato ordine suprà, *num.* 2. annotatô, incipit

TITULUS I.

De Missis Votivis privatis.

PRæmissîs & prænotatîs iis, quæ numerîs præcedentibûs diximus, tractandam se offert Materia de Missis Votivis. Quoniam verò plura sunt, quæ dubitandi, & quærendi occasionem ingerunt, præfixus titulus in quinque Paragraphos dismembratur, ex quibus sit

§ I.

§. I.

Quid in Missis Votivis privatis notandum veniat.

I.

INter ea, quæ in Missis Votivis notanda veniunt, alia sunt communia, alia particularia. Inter communia duo maximè sunt controversa: 1. De quibus Missæ Votivæ dici possint. 2. Qualis color in Missis Votivis adhibendus sit. Quoad primum

II. Quæritur, de quibus Missæ Votivæ dici queant? ℞. 1. De Tempore, e. g. de Dominica, Adventu, Quadragesima, &c. item, de Festis mobilibus, puta de Paschate, Ascensione Domini, &c. Missæ Votivæ non celebrantur. At de SS. Trinitate, Spiritu sancto, Passione, ac SS. Corporis Christi Sacramento dici quidem possunt, attamen non eæ, quæ eo tempore habentur, sed Votivæ, in fine Missalis assignatæ, dici debent. Castald. *lib.* 2. *Sect.* 4. *num.* 1. Gerlac. *part.* 1. *tit.* 4. *§.* 3.

℞. 2.

℞. 2. Etsi de Sanctis non descriptis in Calendario, non possit celebrari Officium divinum ad satisfaciendum propriæ obligationi (nisi adsit specialis concessio) & consequenter nec possint dici Missæ propriæ eorundem Sanctorum secundùm Ordinem Officii; possunt nihilominus dici Missæ Votivæ de quocunque Sancto, de cujus canonizatione constat vel ex Martyrologio, vel aliàs. Castald. cit. Quart. Comment. Rubr. *part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 7. citans alios. Ratio, præter alias ibidem notatas, est; quia secundùm Rubricas possunt dici Missæ Votivæ de Sanctis, absque ulla exceptione. Vide etiam Pasqual. *Tract.* 1. *de Missæ Sacrif. quæst.* 270. Dictum est autem, *de cujus canonizatione constat, &c.* ex quo desumitur, hoc nomine non venire Sanctos toleratos tantùm, hoc est, illos, de quorum canonizatione (vel beatificatione, propter dicenda *num. seq.*) nec ex Martyrologio, nec aliàs constat, sed solummodò vel ob miracula patrata, vel aliunde ab hominibus, sciente & non contradicente Ecclesia, Sancti appellantur & venerantur privatô, non autem publicô, & universali cultu concesso. Hoc etiam colligitur à contrario ex rationibus pugnantibus pro veneratione Sanctorum canoniza-

torum, quæ procul dubio non conveniunt Sanctis toleratis tantùm. Cæterùm non negatur, quòd in honorem ejusmodi Sanctorum Missa de die, vel Festo currente celebrari possit; tum, quia tales non sunt Votivæ; tum, quia non videtur Ecclesia eos omni honore nomine suo exhibendo velle privari, sed tantùm non concedere, ut veneratione Sanctis, de quorum canonizatione vel ex Calendario, vel aliàs constat, propriâ honorentur. Pro praxi, ne errare contingat, optimum erit, in hujusmodi casibus ad intentionem petentium, Missam de die vel Festo currente juxta mentem & ritum Sanctæ Ecclesiæ, non autem opinionem, vel devotionem propriam, & privatam celebrare.

III. Utrùm autem Missæ Votivæ de Beatis nondum canonizatis dici possint, dubium non est modicum. Prima sententia concedit, posse dici Missam de Beato, facta ejus beatificatione, à quocunque & quomodocunque & quavis die, intellige, qua juxta dicta in Prænot. *num.* 3. Missæ Votivæ privatæ dici possunt: quia hoc ipso, quo Romana Sedes declaravit aliquem esse Beatum, & dignum, in cujus honorem semel celebretur Missa, quilibet recitans Missam quacunque die, & in quacunque

que Ecclesia in honorem illius Beati id facit auctoritate Romanæ Sedis, quæ abstulit impedimentum, &c. Ita Pasqual. *Tract.* 1. *de Miss. Sacrif. quæst.* 277. *num.* 3. *& seqq.* & Authores hujus sententiæ apud Quart. *part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 6. ℣. *Prima sententia. & seqq.* Nihilominus sententia communis & vera (inquit Quart. cit. ℣. *Secunda Sententia*) negat, posse in honorem Beati nondum canonizati dici Missam extra diem assignatam, vel ab aliis Personis, vel in aliis Ecclesiis non expressis in Bulla Beatificationis; idque deducit tum ex *cap.* 1. *de Reliq. & Venerat. Sanctorum*; tum ex Decreto S. R. C. 5. *Octob.* 1652. ubi habetur; *non posse tam Sæculares, quàm Regulares cujuscunque Ordinis & Instituti excedere limites verbales Indultorum Sedis Apostolicæ super Beatificationibus præsertim in celebratione Missarum, & Officii cum Octavis, nisi hoc expresse Sedes Apostolica eis indulserit.* Cùm tamen Pasqual. loco cit. *n.* 14. probet, Missas Votivas sub hujus Decreti dispositione non venire, ac aliunde Authores utriusque sententiæ pro- & contra disputent tum Authoritate, tum ratione, poterit Celebrans, cui voluerit, pro libitu suo sese accommodare, donec aliter à S. R. C. decisum fuerit.

IV. Ulteriùs non pauci dubitant, an, si mulieres prægnantes pro felici partu tres Missas petant, videlicet, ad honorem Nativitatis Christi, B. Virginis, & S. Ioannis Baptistæ, in tali casu dici debeant hæ tres Missæ ex ipsis Festis, mutatìs mutandìs, & quidem pro Votiva Nativitatis Domini Missa de Octava ejusdem Nativitatis, quæ incipit: *Puer natus est nobis* (nam ex ipsa Nativitate nulla videtur commodè pro Votiva accipi posse) vel an aliæ, puta de die, vel Festo currente, ad hanc intentionem legendæ sint? Resp. R. P. Lohner *p. 4. tit. 2. §. 2. num. 2.* Ego nec damnare volo hanc devotionem dicendi dictas Missas, si alicubi fortè cum Superiorum approbatione inducta est; nec omnino approbare, sed potiùs suaderem, ut, qui petunt ejusmodi Sacra pro se legi, capaces redderentur, ut sibi persuadeant, quodvis aliud Sacrum ex approbatis ab Ecclesia servire posse ad finem, quem intendunt; imò magis fortè efficax fore propter reverentiam & obedientiam, quam Ecclesiæ, proprium suum judicium abnegando & subjiciendo, exhibent. Ita Loh. cujus tamen doctrinam proüt & aliorum, multi tam in hoc, quàm aliis casibus parùm curantes solummodò student, ut sæcularium, Rubricas & Eccle-

siæ

siæ Cæremonias ignorantium, facillimè tamen non rarò corrigendorum mentibus satisfaciant. Cæterùm haud obstante optima Lohneri Doctrinâ, Sacerdos sciat, se in ejusmodi casibus non minùs prudenter, imò & conscientiosè acturum, si, omissa instructione sæpe parùm profuturâ, pro accepto stipendio Missam de die, vel Festo currente juxta præscriptum Rubricæ celebret, & petentium voluntati, suæque obligationi satisfacturus, debitè applicet. Nec obstat, quòd dantes stipendium determinatam Missam exigant: vel enim tales sunt prudentes? ergo neque in hoc erunt minùs sapientes, maximè, si voluntatem Rubr. & Ecclesiæ rescirent. Vel sunt rudes, & plebei? at neque isti pertinaces judicandi, sed filii Ecclesiæ obedientes censendi sunt.

V. Quæritur 2dò. Quis color adhibendus sit in Missis Votivis? Resp. Color in Missis Votivis idem est, ac in Festis. Quart. *part.* 1. *t.* 4. *dub.* 1. ℣. *Decimo quarto.* & desumitur ex Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 18. *num.* 2. & 3. in fine. Excipe Missam Votivam de SS. Innocentibus, in qua, si ut Votiva dicatur, colore rubeo utendum est, quamvìs in Festo extra Dominicam violaceus sit adhibendus. Ita Rubr. Missal. cit. *num.* 3. dum absolutè docet: *Rubeo colore*

O 4 *utitur*

utitur in Missis Votivis supradictorum Festorum; inter quæ numeratur etiam Festum SS. Innocentium. Quòd autem in Festo color violaceus adhibendus sit, rationem reddit Gav. *part.* 1. *tit.* 18. *num.* 5. dicens: *Quia eo die ploratus Matrum accidit, de quo in* Evan*gelio: Vox in Rama audita est, &c.*

VI. In aliis Missis Votivis circa finem Missalis annotatis, adhibendus est color; ut sequitur: In Missa de Cruce, color rubeus; de Passione, violaceus; pro eligendo Summo Pontifice, rubeus; pro Creatione & Coronatione Papæ, albus; & similiter pro Creatione, Consecratione Episcopi. Pro Missis ad tollendum schisma, & aliis ibi in Missali contentis usque ad Missam, *pro iter agentibus* inclusivè, color violaceus. Rubr. Missal. Quart. Item in Missa pro felice morte, novissimè concessâ, adhibendus est color violaceus. Quamvis autem dictîs coloribûs utendum sit quoad Paramenta Sacerdotalia; nihilominus in Missis Votivis celebrandis, Altaris Paramenta erunt convenientia Officio, quod celebratur, nisi fortè Missa Votiva sit pro re gravi, & publica Ecclesiæ causa, eáque solemniter celebretur; tunc enim Altaris etiam Paramenta cum Missa convenire debent. Castald. *lib.* 2. *Sect.* 6. *cap.* 4. *num.* 6.

VII. Ul-

VII. Ulteriùs quæritur, quid in Missis Votivis celebrandis specialiter notandum sit? Resp. Plurima occurrere, quæ celebrantibus notanda, & observanda sunt, prout ex sequentibus abundè patebit. Primò itaque notandum est, quòd Orationes illæ, quæ post Missam Votivam de SS. Trinitate habentur, pro gratiarum actione, sub una, eademque conclusione cum Oratione prima in Missis privatis non sint recitandæ: Gav. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 7. *litt.* N. Lohner *part.* 2. *tit.* 11. *num.* 5. Quare notandum est, quod habet Gerlac. *part.* 1. *tit.* 7. §. 7. dicens: *In Missis privatis Oratio* 2. *erit de Officio*; 3. *de gratiarum actione.*

VIII. In Missa Votiva de Spiritu sancto notandum nihil est, nisi, quòd in ea ad postulandam Spiritûs sancti gratiam dicendâ, mutandæ sint Orationes, & eæ dicendæ, quæ habentur in fine ejusdem Missæ Votivæ de Spiritu sancto. Rubr. Gav. *p.* 4. *tit.* 17. In Missa de SS. Sacramento, & de Passione Christi, nihil. In Missa de Cruce notandum solùm est, quòd, quando dicitur tempore Paschali, locò primæ Orationis dicenda sit Oratio: *Deus, qui pro nobis Filium tuum, &c.* prout habetur in fine ejusdem Missæ. Rubr.

IX. De B. V. Maria quinque sunt positæ Missæ Votivæ, pro diversitate temporum accommodatæ, ut ibidem patet. De his, præter pauca ibidem consignata non venit speciale quid notandum, præterquàm, quòd, si quis petat Missam Votivam de Assumptione, vel Nativitate ejusdem B. V. M. & ejusmodi, dicenda sit Missa ex quinque Votivis, cum intentione ad honorem Assumptionis, &c. B. V. M. non autem propria Festi Assumptionis, &c. Quart. *part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 5. Gav. *part.* 4. *tit.* 17. *num.* 8. Gerlac. *part.* 1. *tit.* 4. §. 8. *&c.* Si verò petas, qualis Missa dicenda sit, si petatur Votiva de SS. Rosario, de Monte Carmelo, & de septem Doloribus B. V. Mariæ? Ante ℟. supponendum, has Missas, ut Festivas, pro universali Ecclesia modò jam esse approbatas, & Missali Romano insertas. H. S. ℟. 1. De 7. Doloribus B. V. M. dicitur Missa, ut in ejus Festo, cum Orat. *Interveniat pro nobis, &c.* Missal. Rom. Nov. Omittitur tamen Sequentia, prout ex antiquis & novis Missalibus Romanis patet; sine *Gloria in excelsis* (extra Sabbatum) & *Credo.* ℟. 2. In honorem B. V. M. de Monte Carmelo, dicitur una ex quinque Votivis juxta qualitatem temporis. Merati *p.* 4. *tit.* 17. *num.* 2.

℟. 3.

℞. 3. In honorem B. V. M. de SS. Rosario, dicitur Missa de Tempore occurrente (id est, una ex 5. Votivis B. V. M. juxta qualitatem temporis) cum Orationibus propriis Missæ Festivæ Missal. Rom. Nov. Porrò, extat quidem Decretum S. R. C. 30. *Sept.* 1679. quod sic sonat, *Missa assignata Festo Conceptionis B. M. V. pro Fratribus Minoribus non potest dici per annum, uti Votiva, etiam in Sabbatis.* Addit tamen Merati *in Indice Decretor. n.* 453. dicens: *Ex Rubricis sparsim in corpore Missæ Immaculatæ Conceptionis B. M. V. in Missali Fratrum Minorum ab Innocentio XII. denuo approbatis, apparet, eandem Missam uti Votivam ab ipsis recitari posse per annum.* Quod idem de mox prædictis, & aliis, ex speciali Privilegio alicubi concesso, vel concedendo intellige.

X. Qui infra Octavam B. V. M. dicere debet Missam Votivam de eadem B. V. M. dicat eam de Octava cum *Gloria* & *Credo*, non autem Votivam, nec eam de Festo more Votivo. Gav. *part.* 1. *tit.* 4. *litt. P.* Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 1. *num.* 9. suppositô tamen, quòd etiam diei Officium sit de Octava, seu de infra Octavam. Qui verò celebrat Missam de B. V. M. Votivam eo die, quo fit de aliquo Festo semidupli-

ci

ci infra Octavam ejusdem B. Virginis, debet dicere Missam de Octava, sed more Votivo, sine *Gloria* & *Credo*, nisi fuerit Sabbatum, quia tunc dicitur *Gloria* sine *Credo* S. R. C. 2. *Decemb.* 1684. Et quod de B. V. M. dicitur, etiam de aliis Sanctis proportionaliter intellige. Lohner cit.

XI. Si quis petat Missam Votivam de eadem B. V. M. in Vigilia Assumptionis ejusdem, dicatur Missa de Vigilia sine *Gloria*, etiamsi esset Sabbatum, ratione coloris, qui est violaceus, juxta Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 18. *num.* 5. Si verò præplacet, dicatur Missa Votiva, sed sine commemoratione Vigiliæ, ne bis fiat de eadem B. V. in una Missa. Prior tamen modus magis placet Josepho de Brend. Quod autem dictum est de Vigil. B. V. idem proportionaliter etiam de aliis Sanctis rursus intellige.

XII. Particulare unum notandum est pro Fratribus Minoribus, & aliis (siquibus concessum est) quòd, si in Sabbatis per annum ex concessione recitent Officium de Immaculata Conceptione B. V. M. & eodem die petatur Missa Votiva de eadem B. V. Maria, qualiscunque eà sit, non

alia

alia dicatur, nisi ea, quæ diei Officio convenit, etiam quoad modum, dicendo *Gloria* sine *Credo*, *&c.* Et quæ de B. V. M. notata sunt, etiam, si de SS. Stigmatibus S. P. Francisci, de S. Antonio, &c. per annum Officium dicatur, & Missa Votiva de iis respective petatur, intelligenda sunt: dicitur enim Missa, e. g. de Stigmatibus cum commemoratione S. Dominici post commem. Simplicis, siquod occurrat (huic quippe cedit commem. S. Dominici, juxta Decret. S. R. C. 27. *Septemb.* 1698.) cum *Gloria* sine *Credo*, *&c.* Quòd si autem per annum, e. g. in Festo semiduplici, vel infra Octavam alicujus Sancti, &c. dicenda sit Missa Votiva de S. P. Francisco, non additur commemoratio S. Dominici.

XIII. In Votivis de Angelis speciale quid notandum nihil venit, nisi quòd de S. Michaële Archangelo alia quoque Missa Votiva dici possit, prout in ejus Dedicatione 29. *Septemb.* habetur. Rubr. Missal. ibi. Idem de SS. Gabriele, Raphaële, &c. proportionaliter intellige, ubi tamen de concessione Missæ propriæ constat.

XIV. In Missa Votiva de SS. Apostolis Petro & Paulo notandum est, quòd tempore

pore Paschali dicenda sit Missa, ut in Festo S. Marci, 25. *April.* præter Orationes, Epistolam, & Evangelium, quæ dicuntur ut aliàs extra tempus Paschale, in Missa Votiva eorundem Apostolorum. Rubr. Missal. ibi.

XV. Si quis petat Missam Votivam in honorem Conversionis S. Pauli; dicatur vel Missa Votiva communis utrique Apostolo cum intentione ad venerandam Conversionem S. Pauli, quod Gav. *part.* 4. *tit.* 17. *num.* 6. & Arnaud, magis arridet; vel dicenda est secundô locô, sive (ut loquitur Gerlac. *part.* 1. *tit.* 7. §. 9.) immediatè post primam Orationem commemoratio S. Petri (prout in Missa Conversionis S. Pauli habetur) ne unquam separentur ii, quos Ecclesia conjunxit. Gav. cit. & alii. Et quæ de S. Paulo dicta sunt, etiam pro S. Petro Apostolo applicentur; cùm sit una eadémque utriusque ratio.

XVI. De Apostolis aliis, quando Votiva occurrit dicenda, dicitur ea quidem, ut in Festo: at, si quid ratione temporis desit, puta Tractus, seu ℣. cum *Alleluja*, tempore Paschali: *Tractus* quidem desumi poterit ex Missa Votiva SS. Petri & Pauli;

Versus

Versus autem cum *Alleluja* tempore Paschali: imò verò etiam *Introitus* cum accessoriis (demptîs tamen Orationibûs, Epistolâ, & Evangeliô) ex Festo S. Marci, ut in simili casu jubetur in fine Missæ Votivæ Apostolorum Petri & Pauli, ob eandem rationem, prout ait Gav. *part.* 4. *tit.* 17. *num.* 10. Arnaud. *part.* 4. *tit.* 17. *num.* 17. *&c.*

XVII. Quando verò dicenda est Missa Votiva extra tempus Paschale de illis Apostolis, quorum Festum celebratur tempore Paschali, quæ desunt, vel non competunt Missæ extra tempus Paschale, desumantur ex Missa Votiva communi Apostolorum Petri & Pauli, retentîs iis, quæ conformiter retineri possunt.

XVIII. Dubitatur autem, quænam Missa dicenda sit, si Votiva petatur in honorem 12. Apostolorum? ℞. Dicendam esse Missam Votivam SS. Apostolorum Petri & Pauli, dempta prima Oratione, cujus locò dici poterit Oratio ex Festó SS. Simonis & Judæ 28. *Octob.* omissô ly *Simonem & Judam*; prout etiam in Secreta, & Postcommunione vel omittenda sunt verba: *Petri & Pauli*; vel his retentis addenda sunt verba: *& aliorum Apostolorum*, ut facit

ipsa

ipsa Ecclesia in Oratione, *Protege*, quæ habetur in Laudibus & Vesperis Officii parvi B. V. Mariæ. Ratio est: quia integra Missa Apostolorum Petri & Pauli Votiva (Oratione dempta) convenire censetur etiam cæteris Apostolis, prout considеranti patet. Cùm igitur Votiva alia communis omnibus non inveniatur, procul dubio prædicta Missa, modô annotatô, rectè dici & applicari videtur. Tempore autem Paschali, quæ aliunde supplenda sunt, sumantur ex Missa S. Marci, prout præscribit Rubrica Missalis post Missam SS. Petri & Pauli Votivam. Et quod dictum est de omnibus Apostolis, etiam, si in honorem quorundam tantùm Apostolorum Missa Votiva petatur, intellige; nisi iidem Missam habeant communem, e. g. SS. Simon & Thaddæus, aut ipsa ratio manifestè aliud suadeat.

XIX. In aliis Votivis Sanctorum, vel dicitur Missa propria Sancti, si habeat, mutatô in Collecta verbô: *Natalitia*, *Festa*, & hujusmodi, in *Comemorationem*; tacitô item verbô: *hunc diem*, *hodierna die*, *&c.* desumptisque vel *Tractu*, vel *Versibus* cum *Alleluja*, vel etiam *Graduali*, si opus sit, ex Missa de Communi: vel certè tota Missa dicatur

de

de Communi, prout ratio temporis, sive Paschalis, sive non Paschalis requirit. Hoc tamen ultimum ità intellige, ut, si tota Missa dicatur de Communi juxta temporis qualitatem, ea tamen, quæ alicui sancto propriissima sunt, quocunque tempore dicantur; e. g. Versus S. Andreæ, S. Martini, S. Francisci: Communio S. Ignatii, S. Agathæ, & similia. Guyet. *lib.* 4. *cap.* 21. *quæst*, 3. Porrò Paschale tempus durat usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusivè, Gav, cit. *num.* 13,

XX. Quando dicenda est Missa Votiva illius, vel illorum Sanctorum, qui occurrunt extra tempus Paschale, tempore Paschali; si fuerint Confessores Pontifices, vel non Pontifices, Virgines, Viduæ, &c. dicitur Missa, ut aliàs, & solùm adjunguntur duo *Alleluja* ad Introitum, unum ad Offertorium, unum ad Communionem, & omissô Graduali, post dictum duplex *Alleluja* cum suo ℣. & *Alleluja*, additur alius ℣. cum *Alleluja* ex Missa de Communi desumptus. Rubr. Missal. ante Comm. plur. Mart. Major difficultas restat de Missis SS. Martyrum resolvenda. Ne autem id confusè & inutiliter fiat, primò de uno Martyre; deinde de pluribus agemus.

XXI. Quòd si igitur celebranda sit Missa Votiva de uno Martyre, primò considerandum est, utrùm (suppositô, quòd contineatur Sanctus in Missali Romano, Diœcesano, Proprio Ordinis, &c. habeat Missam Festivam propriam; vel de Communi: si de Communi sumptam; utrùm omnia, vel aliqua solummodò de Communi desumpta sint. Si habeat Missam propriam integram Festivam, eadem etiam ut Votiva integrè dicenda est, ritu tamen Votivo, ac Paschali, & omissô Graduali, addendus est alius ℣. cum *Alleluja* ex Missa de Comm. unius Mart. tempore Paschali, quæ incipit: *Protexisti.* Sic e. g. si tempore Paschali dicenda est Missa Votiva de S. Stephano Proto-Martyre, dicitur ea integrè ex Festo ejusdem 26. *Decemb.* (cùm sit tota propria) sed ritu Paschali, & omissô Graduali, additur post dictum ultimum *Alleluja*, ℣. cum alio *Alleluja*, ex Missa citata, *Protexisti.* Idem fit in aliis similibus. Qualis autem Præfatio dicenda sit, vide infrà §. 5.

XXII. Quòd si aliqua tantùm sint de Communi, manentibûs propriîs reliqua dicuntur de Communi. e. g. In Missa de S. Apollinare 23. *Julii*, omnia sunt propria, præter

præter Introitum, Graduale tantùm, & Offertorium. Quando itaque de hoc Sancto dicenda est Missa Votiva, dicitur ut in Festo, more Paschali, demptô Introitu, ultimô ℣. post *Alleluja*, & Offertoriô, quæ dicuntur de Communi ex Missa, *Protexisti*. Idem intellige, si Evangelium, &c. sit de Communi; hoc notato, quòd, si in Missa extra tempus Paschale Evangelium sit, *Si quis venit ad me*: tempore Paschali dici debeat, *Ego sum vitis vera*, ex præcitata Missa, *Protexisti*. Et hoc desumitur ex Missa S. Stanislai Ep. & Mart. 7. *Maji*, ac S. Venantii Martyris 18. *Maji*, ubi præscribitur extra tempus Paschale Evangelium, *Si quis venit ad me*, tempore Paschali verò, *Ego sum vitis vera*: quæ ambo sunt de Communi Mart. 1. loco. At si extra tempus Paschale dicitur Evangelium, *Si quis vult post me venire*, tempore Paschali sumitur, *Ego sum vitis, vos palmites*, ex Missa, *Sancti tui Domine*, de Comm. plur. Mart. tempore Paschali, nisi aliter suis locis notetur, ut patet ex Missa S. Hermenegildi, in qua Evangelium, *Si quis venit ad me*, tempore Paschali non mutatur.

XXIII. Si verò integra Missa dicenda sit de Communi unius Martyris extra tempus

Paschale, ejus locò tempore Paschali integra etiam Missa dicitur de Comuni unius Martyris tempore Paschali, quæ incipit: *Protexisti*; ita tamen, ut eadem dicatur Oratio (Orationes enim non variantur) & Evangelium sumatur eodem modo, quo immediatè dictum est *num. præc.* Et hæc de uno Martyre dicta sint. Cùm verò nec minor difficultas occurrat de pluribus Martyribus, sequitur

XXIV. Quæstio, quid agendum, si dicenda sit Missa de pluribus Martyribus tempore Paschali, quorum Festum celebratur extra tempus Paschale? Resp. Eadem pro quæstionis hujus resolutione respectivè observanda esse, quæ hactenùs *num.* 21. *& seqq.* dicta sunt. Quapropter, quæ propria, aut convenientia dignoscuntur, retineantur: quæ verò deesse, vel non convenire videntur, prudenter ex Missa, *Sancti tui Domine* (quæ sola pro Comuni plurimor. Mart. tempore Paschali in Missali habetur) vel etiam ex Missa *Protexisti* jam sæpiùs memoratâ, suppleantur. Additur, *vel etiam ex Missa, Protexisti*; nam, si Evangelium extra tempus Paschale sit, *Cùm audieritis prælia*, tempore Paschali dicitur, *Ego sum vitis vera*, ex Missa, *Protexisti.* Vide

Rubr.

Rubr. positam immediatè ante Missam, de Communi plurimorum Martyrum tempore Paschali. Si verò extra tempus Paschale sit Evangelium, *Descendens Jesus*, tempore Paschali dicitur, *Ego sum vitis, vos palmites.* Alia tamen Evangelia, e. g. *Nisi granum frumenti, &c.* & quæ posita sunt post Missam, *Salus autem justorum*, de Comm. plur. Mart. extra tempus Paschale, non videntur mutanda, si tempore Paschali dicenda sit Missa; cùm etiam in Rubr. Officii Divini hujusmodi mutationis faciendæ mentio non inveniatur.

XXV. Si verò dicenda sit Missa Votiva illius, vel illorum Sanctorum, quorum Festum celebratur tempore Paschali, extra tempus Paschale: Si illi Sancti fuerint Confessores Pontifices, vel non Pontifices, Virgines, &c. tunc solùm demuntur *Alleluja* ad Introitum, Offertorium, & Communionem, ac desumpto *Graduali*, vel *Tractu*, prout tempus requirit, ex Missa de Communi, omittitur ultimus ℣. cum *Alleluja.* Si autem fuerit unus, vel plures Martyres, tunc observandum est, utrùm sint Pontifices, vel non Pontifices: item de quo loco & Communi sit Missa, quæ assignata est Festo tempore Paschali, quia ea

 debet

debet sumi de eodem Communi, & loco extra tempus Paschale, retentîs tantùm iis, quæ sunt propria, & quæ sunt convenientia tempori non Paschali. De quo verò Communi, & loco sit, commodè ex Orationibus, vel Evangelio colligi poterit. Cæterùm eadem, quæ à *num.* 21. *& seqq.* dicta sunt, prudenter applicari valent à contrario, ita, ut quæ ibi dicta sunt pro tempore Paschali, applicentur ad tempus non Paschale: & per hoc difficile non erit, plurimas resolvere difficultates occurrentes.

§. II.

Proponuntur aliqui casus, & simul quædam alia resolvuntur.

I.

CUm Varietas casuum occurrentium, & præsertim à plebeis, vel rusticanis provenientium, quoad Missas Votivas privatas Celebrantibus non rarò molesta, anxietatum, quæstionúmque causa

causa non modica probata noscatur, nonnulli in hoc §. selecti proponuntur, ut ex his difficile non sit, plurimos alios occurrentes conscientiosè resolvere. Supponitur autem, ejusmodi Missas exigi illîs diebûs, quibus dici possunt Missæ Votivæ, ac de *Requiem* privatæ; nam extra hujusmodi dies, quibus Missæ privatæ prohibentur (ut suprà, in Prænot. *num.* 3. *&* *seq.* notatur) nulla est difficultas, cùm dicendo Missam de Festo duplici, Feria privilegiata, &c. occurrente, & eam juxta petentium intentionem applicando integrè satisfiat. Hoc igitur supposito, ponitur

II. Casus 1. Paulus petit Missam Votivam in honorem alicujus Sancti, qui habet Festivam cùm alio Sancto: e. g. petit Missam in honorem S. Sebastiani Martyr. habentis Missam communem cum S. Fabiano, 20. *Jan.* quænam Missa dicenda? Resp. Si Sancti illi habent Missam Festivam propriam, & utrique communem, singulisque convenientem, dicitur quidem ea ex Festo, sed Orationes (si singulis applicari possunt) dicendæ sunt in singulari, omisso nomine illius Sancti, cujus Votiva non desideratur. Si verò habent Missam propriam, sed singulis (seorsim, intellige)

 non

non convenientem, qualis est ea SS. Joannis & Pauli, 26. *Junii*, dicitur Missa, juxta qualitatem Sancti vel unius Mart. Pontificis, vel non Pontificis, Virginis & Martyris, vel Virginis tantùm, &c. de Communi, sive tempore Paschali, sive extra illud. Si Festivam habent Missam de Communi plurimorum e g. Martyrum, dicitur pro uno de Communi unius Martyris, & quidem, quoad fieri poterit, ex eo loco, quo Missa de Communi plurim. Martyrum sumpta est, quod vel ex Oratione, vel Evangelio desumi poterit. Hîs tamen non obstantibûs, non videtur malè agere ille, qui in hujusmodi casu (saltem ad multa incommoda evitanda, &c.) Missam sumit integrè de Festo, (e. g. in honorem S. Sebastiani dicendo Missam, ut in Festo, 20. *Jan.*) cum intentione venerandi Sanctum illum, in cujus honorem petitur; idque saltem in casu, si Sancti illi habeant Missam propriam quidem, attamen singulis non convenientem, uti sunt SS. Joannes & Paulus præfati: sicut enim nihil officit, si in honorem Conversionis S. Pauli dicatur Missa Votiva SS. Petri & Pauli (ut suprà, §. 1. *num.* 15. notatum est) ita nec in casu nostro videtur quidquam officere, licèt non ob omnimodam rationem, ut de se patet.

III.

III. Casus 2. Petrus exigit Missam in honorem quorundam Sanctorum, e.g. in honorem B. V. Mariæ, S. Angeli Custodis, S. Catharinæ, & S. Udalrici; vel hujusmodi aliam: quænam erit Missa dicenda? Resp. Cùm ejusmodi Sancti dispares sint, ut patet, nec ulla illis conveniens Missa in Missali reperienda, rectè dici Missam de Festo, vel die occurrente in honorem præfatorum Sanctorum, non autem de uno eorum, v.g. de B. V. M. cum, vel sine commemoratione cæterorum; quod & in sequentibus nota. Non enim se habent, ut Festum simplex occurrens cum Semiduplici, prout liquet. Nec dicatur: Si prædicta Missa infra Octavam B. V. M. peteretur, rectè Missa de Octava, nullâ de reliquis Sanctis facta commemoratione, diceretur. Respond. enim, Missam de B. V. M. in simili casu recitatam non habere rationem Votivæ, sed rationem Festivæ: quod ex eo colligitur, quia (ut notat Gav. *part.* 1. *tit.* 4. & habetur suprà §. 1. *n.* 10.) deberet dici *Gloria* cum *Credo*: sed *Gloria in Missis Votivis non dicitur, etiam tempore Paschali; vel infra Octavas, nisi in Missa B. Mariæ in Sabbatô, & Angelorum quotidie*; ut habet Rubr. Miss. *part.* 1. *tit.* 8. *num.* 4. & Decret. S. R. C. 14. *Maji*, 1662. Quare

P 5 stan-

ſtante petentis, in bona fide relicti, intentione dicatur Miſſa de die, &c. nec dubitandum, quin ſatisfiat obligationi Sacerdotis.

IV. Caſus 3. Titius rogat Miſſam Votivam ſimul in honorem S. Barbaræ pro felici morte, ac contra tempeſtates in honorem SS. Joannis & Pauli: qualis Miſſa ſumenda? Reſp. Etiam in hoc, vel ſimili caſu Miſſam de Feſto vel die occurrente legendam eſſe: idque partim ob rationem *num. præc.* datam; partim, quia diverſi petentium fines non quicunque cauſant variationem Miſſæ: aliàs enim, ſi peteretur Miſſa in honorem B. V. M. pro remiſſione peccatorum, non poſſet dici Votiva de eadem B. V. M. Primaria igitur in hujuſmodi caſibus intentio, & finis petentium conſiderari debet, quæ eſt, ut Miſſa offeratur in honorem Sanctorum (ſuppoſitô, quòd expreſsè nominentur) ad hoc, ut ipſorum interceſſione obtineatur à Deo gratia intenta. Et hoc obſervandum eſt, ſive petatur Miſſa in honorem plurium Sanctorum ad impetrandam unam gratiam; ſive in honorem unius Sancti ad acquirendas plures gratias, cum hoc annexo, quòd, ſi petatur Miſſa in honorem plurium Sanctorum,

ctorum, qui Missam communem non habent; nec convenienter habere possunt, dicenda sit Missa de die, vel Festo occurrente ad petentium intentionem. Dictum est autem, *suppositô; quòd expressè nominentur*: nam, si non nominentur, sed Missa absolute, e.g. pro felice morte, petatur, eam dicere oportet. Quòd si petatur Missa e.g. pro remissione peccatorum, & simul pro felici morte, &c. cùm non habeatur talis Votiva in Missali utrique fini communis, bene dicitur Missa de die, vel Festo occurrente; quamvìs in hoc casu non videretur malè facere, qui diceret alterutram vel pro remissione peccatorum, vel pro felici morte; quia hæc duo, saltem in peccatoribus, dicunt necessariam subordinationem.

V. Casus 4. Cajus præbet stipendium pro Missa in honorem plurium SS. Martyrum; vel Confessorum; vel Virginum, quorum quilibet, vel saltem aliqui habent aliam, vel propriam, vel de Communi sumptam Missam, vel saltem Orationem: quomodo Missa celebranda? Resp. Cùm supponantur Sancti ejusdem rationis, videtur bene dici Missa de Communi respectivè, & secundùm tempus, ita, ut si petatur Missa in honorem Martyrum Pontificum,

ficum, vel non Pontificum, &c. ea ſumatur de Communi tempore Paſchali, vel extra illud, prout nempe tempus, & Sanctorum qualitas exegerit. Et quandoquidem (ut ſupponitur) locus determinatus non ſit, poterit eligi ex primo, vel ſecundo loco, prout placuerit, & devotio ſuggeſſerit. Nec quidquam in ipſa Miſſa mutatur, niſi quòd ea, quæ in Orationibus ponuntur in ſingulari, dicantur in plurali, ſicut etiam præſcribitur in Rubr. Breviarii in Comm. Pontificum, & Confeſſorum. Hoc tamen ultimum ſolummodò intelligendum eſt, ſi petatur Miſſa in honorem plurium Confeſſorum Epiſcoporum, & non Epiſcoporum; Virginum tantùm; ac nec Virginum, nec Martyrum: nam, cùm in Miſſali habeatur *Commune plurimorum Martyrum; Commune plurium Virginum & Martyrum*; item *Commune non Virginum* (prout in Communi Sanctorum videri poterit) utique in occurrentia caſuum ad ea refugiendum erit.

VI. Caſus 5. Agatha procurat Miſſam in honorem B. V. M. ac S. Agathæ Virg. & Mart. pro miſerrima anima in Altari privilegiato, & ad impetrandum felicem partum, &c. quid conſilii? Ante Reſp. ſuppo-

ponitur 1. illud, quod habetur infrà, *tit.* 2. §. 1. *num.* 9. Supponitur 2. petentes Missam esse absentes, nec posse instrui ratione privilegii Altaris, ut illud per Missam de *Requiem* celebratam animæ misserrimæ prodesse possit. His suppositis, Resp. Cùm in hoc casu tribus intentionibus simul occurrentibus eodem modo satisfieri non valeat, & in huiusmodi casibus ad primariam intentionem attendere oporteat (ut *num.* 4. dictum) Missam de die, vel Festo currente dicendam esse, censetur. Nec obstat, animæ non suffragari Altaris privilegium: quia hoc fit per accidens; nec tamen privatur omni fructu, cùm eidem applicari possit, ac debeat aliquis saltem fructus satisfactorius. Quòd si petentes contenti non sint taliter factô Sacrificiô, id non sacrificanti, sed ipsis petentibus imputetur; qui etiam instruantur (quoad fieri poterit) ut taliter intentionem suam ordinent, quatenùs convenienter Missa de *Requiem* celebrari, & suæ intentioni omnimodè satisfieri queat.

Nihilominus, hìs non obstantibûs, æquè convenienter (vel etiam convenientius, saltem, si petens Missam sciat Altare privilegiatum) in simili casu Missa de *Requiem*, cele-

celebranda videtur: ídque ex eo, quòd procurans Missam legi censeatur prudentissimè, eo modo illam applicari velle, quo minori exinde privatur commodo; sed minorî privatur commodô, si dato casu Missa celebratur de *Requiem*; cùm tali modo pro Anima miserrima obtineret indulgentias plenarias, quibus aliàs ea Anima privatur, si in iis circumstantiis legitur Missa alia, cùm tamen posset, & deberet legi de *Requiem*. Deinde, non privatur reliquîs finibûs, seu fructibûs intentis; cùm eos obtineat adhuc, saltem in substantia. Et certè hoc ipso, quo petens Missam, assignet Animam Defunct. & Altare privilegiatum, rationabiliter præsumitur, velle speciali & possibili modo Animæ prodesse, præcipuè, ubi fructu competente se non destitui, resciverit. Nec obstat, quòd tali modo finis primarius non attendatur; quia hoc fit per accidens: nec videtur inconveniens, si ob speciales circumstantias occurrentes subinde via & regula ordinaria non observetur, quod etiam ex ipsa Rubrica satis apparet. Cæterùm, ex dictis colligitur, quàm cautè procedendum à Sacerdotibus, & aliis, Missarum onera suscipientibus: ad hos quippe pertinet procurare, ne ob suam negligentiam, vel etiam

petent-

petentium facilè emendandam ignorantiam, Defuncti non rarò diu desideratô Altaris privilegiô fraudentur, & consequenter petentium piæ intentiones debitè non impleantur.

VII. Casus 6. Peregrina petit Missam ad suam intentionem celebrandam, exigit autem in Altari privilegiato, & quidem eo die, quo posset, & ad suffragandum Altaris privilegium, deberet dici Missa de *Requiem*, v.g. in Festo Semiduplici, &c. quia verò Peregrina non addit, utrùm hoc Sacrificium sit offerendum pro aliquo Defuncto, nec ne, dubitatur, & quæritur, quænam Missa dicenda sit? Resp. si Peregrina ratione privilegii Altaris admoneri possit, ut, si pro Defunctis Missam exigat, mentem suam aperiat, quatenus Missa de *Requiem* dici, & animabus prodesse queat, utique monitio talis omittenda non est. Quòdsi autem hoc fieri ampliùs nequeat, aut Peregrina aliàs mentem & intentionem suam manifestare nolit, dicenda censetur Missa de die, vel Festo occurrente cum applicatione fructuum, &c. juxta petentis intentionem. Hoc tamen intellige, si Peregrina privilegium Altaris ignorans simpliciter petat Missam celebrandam in Altari, e.g. S. Crucis, B. M. V. &c. quod tu nôsti privi-

privilegiatum. Si autem petatur Missa absolutè sic: *Dicatur Missa in Altari privilegiato ad meam intentionem*; vel si exigatur determinatè in Altari, e.g. S. Crucis, &c, à scientibus privilegium Altaris, subinde Missa de *Requiem* dicenda videtur: nam in similibus casibus non imprudenter supponi potest, intentionem petentium eam esse, ut Missa pro Defunctis celebretur, & privilegium Altaris iisdem applicetur. Nihilominus tamen ex nonnullis circumstantiis bene, vel etiam meliùs agitur, si Missa de Festo, vel die occurrente dicatur, & applicetur juxta petentium intentionem; nam rationem contrarii sæpe non subsistere, experientia probat. Quare in ejusmodi casibus prudentia adhibeatur, necesse est.

VIII. Casus 7. Devotula petit Missam in honorem B. V. M. pro defunctis Parentibus; quomodo satisfaciendum? Resp. In hoc casu eadem respectivè observanda esse, quæ *num. 6. & seq.* dicta sunt. Aliàs dicenda est Missa de die, vel Votiva de B. V. M. in qua tamen addi poterit Oratio pro Parentibus petentis, *Deus, cui proprium est, &c.* juxta ea, quæ habentur infrà *t. 2. §. 2. num. 12.* Unde in simili casu Missæ Votivæ, esset Oratio 1. de B. V. M. 2. de Festo,

Festo, vel die currente. 3. de Spiritu S. 4. *Deus, cui proprium.* 5. *Ecclesia*, vel pro Papa. Et hi sunt casus studiosè recensiti; ex quorum resolutione levi brachio millenos quoque alios resolvere difficile non erit.

IX. Quæritur ulteriùs, qualis Missa dicenda sit, si Votiva exigatur de aliquo Sancto infra Octavam ejusdem, occurrente, vel non occurrente Festo aliquo Semiduplici? Resp. pro hujus Quæst. resolutione eadem observanda esse, quæ suprà §. 1. *num.* 10. dicta conspiciuntur. Quòdsi occurrant duo, vel tria infra Octavam, de quorum uno Officium recitatur, & de cæteris fit commemoratio; tunc eadem observantur, si de iis, de quibus tantùm commemoratio fit in Officio, Missa Votiva celebranda sit; dicitur enim Missa de Octava sine *Gloria* & *Credo* (nisi sit Angelorum, &c.) & fiunt alia, ut suprà *n.* 10. notatur.

X. Cùm Missa de 14. Auxiliatoribus nuncupatis, Venetiis impressa penitus rejecta sit à S. R. Congatione 16. *Jan.* 1617. ita, ut neque retineri possit in Missali sub pœna librorum prohibitorum, prout notat Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 2. *num.* 3. Gav. *part.* 4. *tit.* 17. *num.* 14. Item, Missa, de

Patre æterno, Madriti edita; & Missa *de S. Gregorio pro vivis* Venetiis impressa, ut patet ex Gavant. cit. Arnaud. ideò, si ejusmodi Missa Votiva petatur, ea dici poterit vel de die, sive Festo occurrente ad petentium intentionem; vel, si specialis devotio petentium Missam de his Sanctis requirat, potest dici Missa de pluribus Mart. ex Comuni Sanctorum tempore Paschali, vel extra illud, quia ex his plures Martyrio coronati sunt, atque adeò major pars minorem ad se trahit, ut videre est in Festo SS. Nazarii, &c. 28. *Julii*, ubi etiam in eodem Officio de S. Innocentio P. & C. agitur. Oportet tamen in Collectis omittere ly *Martyrum*, prout etiam fit in Oratione SS. Nazarii, &c. Lohner *part.* 4. *tit.* 2. *§.* 2. *n.* 3.

XI. Quòd si petatur Missa de Sancto, vel Sanctis, de quibus neque Officium, neque Missa habetur, dicatur Missa de Communi respectivè, sive juxta qualitatem Sancti, vel Sanctorum, quæ placuerit, positô, quòd plures ibi Missæ reperiantur. Desumitur hoc à paritate ex Gav. *part.* 1. *tit.* 16. *num.* 2. Si tamen ex speciali concessione, e. g. quia adest insignis Reliquia, &c. Officium dici potest, Missa de Communi juxta Ordinem & locum Officio respon-

ſpondentem, maximè quoad Evangelium, ſumenda eſt, ut eadem, quoad fieri poteſt, cum Officio concordet. Gav. cit.

XII. Tandem notandum etiam eſt, quòd, ſi dicatur Miſſa Votiva illius, vel illorum Sanctorum, cujus Introitus eſt: *Gaudeamus omnes in Domino*, &c. ut in Miſſa de S. Agatha, S. Anna; item de Omnibus Sanctis, & S. Thoma Cantuar. &c. ille ſumendus ſit de Communi: ut pro S. Agatha, *Loquebar*, pro S. Anna *Cognovi*. pro Omnibus Sanctis, *Sapientiam Sanctorum*. vel tempore Paſchali, *Sancti tui Domine*. de S. Thoma Cantuar. *Sacerdotes Dei*. vel tempore Paſchali, *Protexiſti*, &c. & ſic de aliis, niſi expreſsè à Rubrica aliter notetur, prout fit in Propr. Miſſal. FF. Minorum, ubi pro Miſſa Votiva S. P. Franciſci, præſcribitur Introitus: *Mihi autem*. ex Feſto SS. Stigmat. Joſeph. de Brend. id deſumens ex Miſſa B. M. ut habetur ſuprà §. 1. *num*. 9. & colligi videtur à paritate rationis ex Miſſa Votiva S. P. Franciſci. Quòdſi verò cum Gerlac. *part*. 1. *tit*. 4. §. 2. retineatur Introitus *Gaudeamus*. verba *diem Feſtum celebrantes*, mutanda ſunt in *memoriam celebrantes*.

XIII. Ultimò advertendum etiam est, quòd Missæ Votivæ de Spiritu sancto, de B. V. Maria, & pro Defunctis, quæ præscribuntur Presbyteris in eorum Ordinatione, dicendæ post Celebrationem primæ Missæ, sequantur Regulas Vorivarum; atque adeò dici non possint illis diebus, quibus aliæ Votivæ prohibentur. Gav. *part.* 1. *tit.* 4. ℣. *Neque putes.* Quare satisfit intentioni, si præfatæ tres Missæ de duplici, vel Dominica, &c. occurrente celebrentur, cum intentione eas applicandi juxta mentem Episcopi, præsertim apud eos, quibus una solummodò Missa qualibet Septimana pro libitu applicanda conceditur, uti contingit apud quosdem Regulares. Si tamen data opportunitate dicantur, tunc in Missis de Spiritu S. & B. V. Maria observatur ritus Missæ Votivæ privatæ: Missa autem pro Defunctis debet esse quotidiana cum tribus Orationibus consuetis. Gerlac. *p.* 1. *tit.* 4. §. 15. Pro Complemento scire juvat, quòd hæ Missæ, prout etiam alia, quæ Episcopus recenter initiatis injungit, omnino non injungantur sub peccato, sed solùm ex congruitate quadam & decentia, Valentia *Tom.* 3. *d.* 6. *puncto* 10. §. 2. Castropal. apud Gobat. in Alphab. Sacrif. *num.* 713. Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 1. *num.* 10.

§. III.

§. III.

De Ingressu ad Missam Votivam & aliis usque ad Orationes.

I.

IN Missis Votivis de Passione, vel de Cruce, & aliis quibuscunque, quæ dicuntur infra Hebdomadam Passionis, non est omittendus Psal. *Judica me Deus*, *&c.* nec ℣. *Gloria Patri*, ad *Introitum*, & *Lavabo*. S. R. C. 10. *Febr.* 1647. non obstante, quòd eadem in Missis de tempore non dicantur.

II. In Missis Votivis privatis (etiam tempore Paschali, vel infra Octavas, juxta Rubr. Miss. *part.* 1. *tit.* 8. *num.* 4.) non est dicendus Hymnus Angelicus, seu *Gloria in Excelsis*, nisi fuerit Missa Angelorum (quo nomine veniunt etiam Missæ propriæ S. Michaëlis, Gabrielis, &c. si ritu votivo dicantur) in qua quotidie est recitandus; vel Missa de B. V. Maria, in qua quolibet Sabbato dici debet. S. R. C. 14.

Maji, 1662. Vide de hoc etiam suprà §. 1. *num.* 10. & *seq.*

III. Quando Missa Votiva dicitur de aliquo Sancto eo die, quo idem obiit, convenit dicere *Gloria*, quasi in ejus Festo, licèt non sit factum Officium de eo, Gav. *part.* 1. *tit.* 8. *num.* 4. *litt. B.* Arnaud. *part.* 1. *tit.* 8. Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 3. *n.* 1.

§. IV.

De Orationibus.

I.

ERat hactenus communis quasi opinio, in Missis Votivis privatis (de quibus solummodo hîc agimus) Orationes semper numerô impares dicendas esse, Rubricâ *p.* 1. *tit.* 9. *n.* 14. & 12. dicente: *In aliis* (id est, in Votivis privatis) *dicuntur plures* Orationes, *ut in Festis Simplicibus: in Festis* autem *Simplicibus*, & *Feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres, ut in Semiduplicibus, aut quinque: possunt etiam dici septem ad libitum.* Ubi Rubrica clarè, & de Orationibus numerô impari

parî dicendis loqui visa est, excepto casu, *nisi aliter in propriis locis notetur*; quod tamen sola Festa, & Ferias concernere videbatur. At novissimè contrarium defendit Cajet. Merati *p.1. tit. 4. Annot. §.8. n.43.* dicens, hanc sententiam laborare falsô suppositô ob Decretum S. R. C. 2. *Dec.* 1684. *in una Canonic. Regul. Lateran.* quod sic habet: *In Missa de Semiduplici, vel Simplici, vel Votiva, non sunt necessariò dicendæ Collectæ impares, puta tres, quinque, vel septem.* Sed ℞. An hoc Decretum, ante tot jam annos emanatum, in his partibus debitè sit promulgatum, & consequenter de eo authenticè constet, subsisto; eò magis quidem, quòd videatur particulare *Canonicorum Regularium Lateranensium*, prout ipse Merati in Indice Decretor. ad annum cit. habet. Permissô tamen, quòd sit Urbis & Orbis, vel aliàs debitè promulgatum, atque receptum; nihilominus, quia Rubricam non corrigit, nec necessitatem seu obligationem imponit, dicens, *non sunt necessariò dicendæ Collectæ impares*, adhuc Orationes impares numerô juxta terminos Rubricæ dici poterunt. Quapropter terminos ipsos Rubricæ secuturis, pro eorundem commoditate sequentia subjunguntur. Priùs tamen

II. Advertendum est *primò*, quod notat Gav. *p. 1. tit. 9. n. 12. lit. G.* in verba Rubricæ, *possunt etiam dici septem Orationes ad libitum*, dicens: *Ad libitum hoc loco non significat tamen, quòd quascunque velis, Orationes dicas; sed eas prius, quæ in Rubrica assignantur, pro secunda, vel tertia, &c.* Advertendum *secundò*, quòd in Missis Votivis privatis semper Oratio 2. sit de eo, de quo factum est Officium, sive illud sit Festum, sive Feria. Item, Commemoratio Festi Simplicis, si de aliquo occurrat fieri eodem die in Officio, &c. Rubr. Missal. *part. 1. tit. 4. num. 3.* Excipe, si dicatur Missa Votiva de S. Petro, vel Paulo Apostolis; nam in his casibus Oratio 2. dicitur de alterutro dictorum juxta qualitatem Missæ; 3. verò de die vel Festo occurrente. Vide suprà §. 1. *num. 15.* Hîs suppositîs, quæritur, quales Orationes dicendæ sint in Missis Votivis privatis? Cùm huic quæstioni sufficienter, & utiliter paucîs satisfieri nequeat, omni servato ordine sequentibus numerîs responsionis locò qualitas, & modus Orationum proponitur. Quare

III. Dico: In Missis Votivis, quæ dicuntur ab Adventu usque ad Nativitatem Domini illis diebus, quibus fit de Festo Semidu-

miduplici, Orat. 2. dicitur de Festo. 3. de Feria. II. Si eo die, quo occurrit etiam Simplex cum Semiduplici, Orat. 4. erit de Simplici. 5. *Deus, qui de B. M. V. &c.* III. Si eo die fuerit etiam Vigilia, Oratio 4. dicitur de ea. 5. de Simplic. IV. Si eo die fuerit etiam dies infra Oct. Orat. 2. dic. de Festo Semiduplici. 3. de Octav. 4. de Fer. 5. de Vigilia. 6. de Simplici. 7. *Deus, qui de B. V. M. &c.* V. Si Officium sit de Feria, Oratio 2. dicitur de ea. 3. de B. V. M. nisi Votiva sit de ipsa B. V. M. quia tunc Oratio 3. erit de Spiritu sancto. Si verò in utroque hoc casu occurat etiam Vigilia, vel Simplex, Oratio 3. dicitur de ea; nec alia superadditur.

IV. Ab Octava Epiphaniæ usque ad Festum Purificationis B. V. M. I. Si dicatur Missa Votiva eo die, quo fit de Festo Semiduplici, Oratio 2. dicitur de eo. 3. *Deus, qui salutis.* II. Si eo die, quo etiam Simplex occurrit, Oratio 3. dic. de eo, omissâ aliâ de B. V. M. III. Si eo die, quo fit de Semiduplici, ac Dominica anticipata in Sabbato, & de Simplici, Oratio 2. dicitur de Semiduplici. 3. de Dominica anticipata. 4. de Simplici. 5. *Deus, qui salutis.* IV. Si hæc omnia occurrant infra

Octavam, Oratio 2. dicitur de Semiduplici. 3. de Octava. 4. de Dominica anticipata. 5. de Simplici, sine *Gloria* & *Credo*. V. Si Dominica anticipata cum Festo Simplici occurrat in Sabbato cum Festo de infra Octavam, Oratio 2. erit de Octava. 3. de Dominica anticipata. 4. de Simplici. 5. de B. V. M. sine *Gloria* & *Credo*. VI. Si Officium fiat de Simplici, vel in Sabb. de Dominica anticipata, Oratio 2. dic. de iis. 3. de B. V. M. sine *Gloria* & *Credo*. Nota tamen; si contingat Officium Purificationis B. V. M. à die sua propria transferri, tunc occurrente, e. g. Festo Semiduplici, Orat. 2. erit de hoc, 3. *A cunctis*. Non obstante, quòd Officium Purificationis B. V. M. nondum fuerit recitatum. S. R. C. 14. *Febr.* 1705.

V. A Festo Purificationis B. V. M. (ut *num. præc.* dictum) usque ad Dominicam Passionis exclusivè, si dicatur Missa Votiva eò die, quo fit de Festo Semiduplici, Oratio 2. (ante Quadragesimam) dicitur de eo. 3. *A cunctis*. II. Si occurrat etiam dies infra Octav. Orat. 2. erit de Semidupl. 3. de Octava. nec additur 4. quod idem intellige, si cum Festo Semidupl. occurrat Simplex tantùm extra Octav. dicitur enim

Orat.

Orat. 2. de Semidupl. 3. de Simplici. III. Quòdsi verò occurrat dies infra Octavam, & Simplex cum Semiduplici, Oratio 2. erit de Semidupl. 3. de die infra Octav. 4. de Simplici. 5. de B. V. M. Dictum est autem, *ante Quadragesimam*: nam in Quadragesima (suppositô, quòd non possit celebrari Festum aliquod cum Octava, nisi ex indulto speciali, ut patet ex Rubr. Brev. *tit.* 7. *num.* 1.) I. Si celebretur Officium de Semiduplici, Orat. 3. dic. de Feria. II. Si occurrat etiam Simplex, Oratio 3. dicitur de Feria. 4. de Simplici. 5. *A cunctis.* Si verò ante Quadragesimam post Festum Purificationis B. V. M. occurrat Officium de die infra Octav. in Votivis Oratio 2. erit de Octava. 3. de B. V. M. *Concede.* Si occurrat etiam Simplex, Oratio 3. erit de eo, omissâ illâ de B. V. M. Quòdsi occurrat Officium de Vigilia, in Votivis Oratio 2. dicitur de ea. 3. de B. V. M. juxta Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 9. Si Officium sit de Simplici vel Feria, Oratio 2. erit de ea. 3. *A cunctis.* At in Quadragesima; si dicendum sit Officium de Feria, & simul occurrat Vigilia; Oratio 2. dicitur de Feria. 3. de Vigilia; nec additur Oratio alia.

VI. In

VI. In Hebdomada Passionis: Si Officium sit de Feria, in Missis Votivis Oratio 2. erit de ea. 3. *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. II. Si etiam occurrat Simplex, Oratio 3. dicitur de eo, nec 4. superadditur. Si verò Officium fiat de Semiduplici, Oratio 2. dicitur de eo. 3. de Feria. Si etiam occurrat Simplex, Oratio 2. erit de Semiduplici. 3. de Feria. 4. de Simplici. 5. *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*.

VII. A Dominica in Albis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusivè: I. Si Missa Votiva dicatur eo die, quo occurrit Semiduplex, Simplex, vel Feria, Oratio 2. dicitur de eo. 3. *Concede*. II. Si eo die, quo occurrit Semiduplex cum Simplici, Oratio 3. dicitur de Simplici; nec 4. superadditur. III. Si eo die, quo Semiduplex & Simplex occurrunt infra Octavam, Oratio 2. dicitur de Semiduplici. 3. de Octava. 4. de Simplici. 5. *Concede*. IV. Si verò non occurrat in hoc casu Simplex, Oratio 2. dicitur de Semiduplici. 3. de Octav. nec additur alia. Quòd si occurrat Semiduplex cum duabus Octavis, Oratio 2. erit de Semiduplici. 3. & 4. de duabus Octav. 5. *Concede*. II. Si cum tribus Octavis, Orat. 3. 4. & 5. dic. de iis. III. Si cum duabus Octa-

Octavis & Simplici, Oratio 3. & 4. dic. de Octavis. 4. de Simplici.

VIII. In Feriis Rogation. si occurrant Festa Semiduplicia, dies infra Octavam, ac Simplicia, sequentia notanda sunt. *Feria* 2. *Rogation.* I. Si occurrat Semiduplex, Oratio 2. erit de eo. 3. de Feria 2. Rogationum. II. Si occurrat etiam Simplex, Oratio 4. erit de eodem. 5. *Concede.* III. Si etiam occurrat dies infra Octavam, Oratio 2. erit de Semiduplici. 3. de Octava. 4. de Rogation. 5. de Simplici. *Feria* 3. *Rogation.* I. Si fiat Officium de Simplici, vel Semiduplici, Oratio 2. dicitur de eo. 3. de Feria 2. Rogation. II. Si occurrat cum Semiduplici, vel die infra Octavam etiam Simplex, Oratio 2. dic. de Semiduplici, vel de Octava. 3. de Simplici. 4. de Feria 2. Rogation. 5. *Concede.* III. Si fiat de Semiduplici infra Octav. & occurrat etiam Simplex, Oratio 2. dicitur de Semiduplici. 3. de Octava. 4. de Simplici. 5. de Rogationibus. Quòd si Feria 2. & 3. Rogation. fiat Officium de ea, Oratio 2. dicitur de Feria 2. Rogation. 3. *Concede.* Si verò Feria 2. occurrat etiam Simplex, Oratio 3. dicitur de eo, nec alia superadditur. *Feria* 4. *Rogationum.* I. Si Officium fiat de Vigilia, Oratio 2. erit de ea. 3. de Feria 2. Ro-

Rogation. ut patet ex Missa *Vigil. Ascens.* II. Si occurrat etiam Simplex, Oratio 3. erit de eo. 4. de Rogation. (ut notat Gav. *part. 4. tit. 11. n. 14.*) 5. *Concede.* III. Si occurrat Semiduplex infra Octav. cum Simplici, Oratio 2. erit de Semiduplici. 3. de Octava. 4. de Vigilia. 5. de Simplici. 6. de Feria 2. Rogation. 7. *Concede.* IV. Si verò non occurat Simplex, Oratio 5. erit de Feria 2. Rogation. nec superadditur alia. V. Si in Officio agatur de semiduplici, vel de die infra Octav. Oratio 2. erit de eo. 3. de Vigilia. 4. de Rogation. 5. *Concede.*

IX. A Dominica Trinitatis usque ad Adventum: I. Si Missa Votiva dicenda sit eo die, quo occurrit Semiduplex, Oratio 2. dicitur de eo. 3. *A Cunctis.* II. Si eo die, quo occurrit Semiduplex, vel dies infra Octavam & Simplex, Oratio 3. dicitur de Simplici, absque alia. III. Si eo die, quo Semiduplex & Simplex occurrunt infra Octavam, Oratio 2. dicitur de Semiduplici. 3. de Octava. 4. de Simplici. 5. *Concede.* IV. Si eo die fuerit etiam Vigilia, Oratio 4. dicitur de Vigilia. 5. de Simplici. V. Si eo die fuerint duo infra Octav. Oratio 2. dicitur de Semiduplici. 3. & 4. de Octav. 5. de Vigilia. 6. de Simplici. 7. *Concede.*

X. Quòd

X. Quòd si Officium per annum sit de Feria, Simplici, vel de Vigilia; in Missis Votivis privatis, Oratio 2. erit de Feria, Simplici, &c. 3. quæ aliàs juxta Missam diei secunda est. Si verò cum Vigilia occurrat etiam Simplex, Oratio 3. erit de eo; nec alia superadditur.

XI. Attamen notandum est, quòd, etsi prædicta de Orationibus, ordinariè procedant, in aliquibus nihilominus exceptio facienda sit. Quare à regula universali excipiendum est, *Primò:* quòd in Missis Votivis B. V. M. semper, & in aliis Votivis, quæ dicuntur in Vigilia, & infra Octavas ejusdem B. V. M. & Omnium Sanctorum, quando ultimo loco dicenda esset Oratio *A cunctis*, vel alia pro diversitate temporis, ejus locò dicatur Oratio: *Deus, qui corda fidelium, &c.* prout habetur post Missas 5. Votivas ejusdem B. V. M. ne bis repetatur, vel fiat nova commemoratio de eadem B. V. M. Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 15. Gav. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 15. *Secundò*: In Missa Votiva de Apostolis Petro & Paulo (non autem de aliis Apostolis, Gav. cit. *litt. H.*) quando ultimô locô dicenda esset Oratio *A cunctis*, ejus locò sumitur Oratio de S. Maria, *Concede nos famulos.*

mulos. Rubr. cit. Aliis autem temporibus, quando non dicitur Oratio *A cunctis*, nulla accidit mutatio. Gav. cit. *Tertiò*: Si infra Octavam B. V. M. recitanda sit Missa in honorem SS. Trinitatis, vel sancti Spiritûs, Oratio 2. dicitur de Octava, 3. *Ecclesiæ*, vel pro Papa; suppositô, quòd nulla alia vî Rubricæ necessariò dicenda sit, e. g. de Simplici, &c. in hujusmodi enim casu vel omittitur Oratio *Ecclesiæ*, *&c.* vel ultimô locô ponitur, prout numerus Orationum à Rubrica præscriptus exigit. Idem intellige, si infra Octavam SS. Trinitatis, sub Titulo Ecclesiæ celebratæ, Votiva in honorem B. V. M. dicenda sit. Item, infra Octavam Omnium Sanctorum, si petatur Missa Votiva in honorem SS. Trinitatis, vel S. Spiritûs; nam in hujusmodi casibus Oratio 3. dicitur *Ecclesiæ*, vel pro Papa: nisi occurrat Semiduplex, vel Simplex, ut notatum est. Et hæc sunt, quæ responsionis locò exactiùs distinctîs numerîs recensere, & pro legentium commoditate in præfatum ordinem redigere placuit. Nihilominus necdum satìs, sed

XII. Ex hactenus dictis nova exoritur difficultas, videlicet: utrùm Orationes *Concede*: *Ecclesiæ*: *Deus*, *qui salutis*, *&c.*

quintô,

quintô, vel septimô locô annotatæ, necessariò ad complendum ejusmodi numerum dicendæ sint, sicut dici debent ad ternarium numerum constituendum; vel, an non possit dici alia ad libitum; vel etiam ea, quæ subinde præscribitur à Superioribus, e. g. *Deus refugium nostrum*, *&c.* quod idem est quærere; utrùm Orationes, quæ in Semiduplici, infra Octavas, &c. secundô, & tertiô locô dicendæ assignantur, uti *A cunctis: Concede*, *&c.* (prout nempe Missæ qualitas petit) etiam obligent extra numerum ternarium, sive ternariô numerô per alias Orationes necessariò dicendas, jam completô: exemplum habes suprà *num.* 9. & alibi. Resp. Præfatas Orationes, quamvis bene dicantur ad numerum quinarium, &c. complendum, eas tamen non videri obligare ad sui recitationem extra numerum ternarium, aliîs Orationibûs necessariò dicendîs jam completum, sed posse numerum quinarium, vel septenarium suppleri per Orationem imperatam, vel ad libitum electam. Desumitur hoc ex variis Rubricæ, & Missalis locis: 1. ex Rubr. *in Vigil. Ascens.* ℣. *Si hodie*, 2. ex Festo S. Leonis Pap. & Conf. 28. *Junii* ubi, non obstante Rubr positâ post Festum Nativit. S. Joannis, post Orationem de Vigilia non

præscribitur Oratio *Concede*, superaddenda. Idem videtur alibi. Deinde, si obligat ea, quæ secundô locô præscribitur, ergo etiam obligat tertiô locô assignata, quod tamen dici nequit, tum propter Rubr. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 4 7. 16. & alibi, ubi nulla fit mentio hujusmodi obligationis. Nec obstat Decret. S. R. C. 2. *Decemb.* 1684. dicens: *Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missali*, *veluti*, A cunctis, *ut ejus locò dicatur aliqua Oratio imperata ab Episcopo*, *veluti*, Deus refugium, &c. *neque*, *ut recitetur penultimo loco Oratio pro Defunctis.* Nam hoc Decretum stat solummodò contra eos, qui neglectîs Orationibûs à Rubrica præscriptîs, quascunque alias pro libitu suo recitare præsumunt, ut colligitur ex verbis: *Non est omittenda una ex assignatis Orationibus*, *&c.* Cùm igitur nullibi in Missali assignatum habeatur, ut Orationes 2. & 3. loco dicendæ, 4. & 5. loco recitentur; imò in locis citatis ambæ in ipso Missali omittantur, rectè teneri censetur, quòd Orationes prædictæ 2. & 3. loco dicendæ ad complendum numerum quinarium, vel septenarium, non sint obligatoriæ, sed possit locò Orationis e. g. *Concede*, suprà *num.* 9. citat. quintô vel septimô (non autem tertio) locô addi

di Oratio vel ad libitum electa, vel etiam imperata, e. g. *Deus refugium.*

§. V.

De Graduali, Præfationibus, & aliis Missæ Votivæ partibus.

I.

TEmpore adventûs, quamvis in Missis ferialibus omittatur *Alleluja* cum suo Versu, in Missis tamen Votivis quibuscunque, illud non ommittitur. Gav. *part.* 4. *tit.* 17. *num.* 11. Arnaud. Lohner. Idem intellige, si dicendæ sint Votivæ diebus Quatuor Temporum, & Vigiliarum extra Septuagesimam, quæ jejunantur. Ita desumitur ex Gav. cit. cùm Missæ Votivæ non habeant rationem temporis, ut Feriæ Adventûs, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur.

II. A Septuagesima usque ad Pascha in Votivis semper dicitur *Tractus*, etiam iis diebus, quibus non dicitur in Missa Feriæ. Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 3. *num.* 4. Arnaud.

Exemplum habetur in Missis Votivis B. V. M. quæ positæ sunt in fine Missalis.

III. Unde autem in Votivis *Alleluja* cum suo ℣. tempore Paschali, vel extra illud *Tractus* in Septuagesima in defectu desumendi sint, colligi poterit ex dictis *§. 1. num. 16. & seqq.* ubi videatur.

IV. Quoad Symbolum, sive *Credo* dicendum, notanda est doctrina Gerlac. *part. 1. tit. 11. §. 5.* dicentis: *Nunquam dicitur* Credo *in Missis Votivis privatis.* Patet hoc ex Rubr. Missal. quæ *part. 1. tit. 11.* illud solùm admittit *in Missis Votivis, quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur, etiamsi dicantur in Paramentis violaceis in Dominica.* Utrùm autem in Missis Votivis tempore Passionis ad *Lavabo*, addendus sit ℣. *Gloria Patri*, dictum est suprà §. 3. *num. 1.* Cæterùm, cùm aliud quid speciale hoc loco notandum non veniat, sequitur

V. Quæstio: Quid in Votivis quoad *Præfationes, Communicantes &c.* advertendum? Resp. In Missis Votivis dicitur Præfatio propria, si propriam habeant; si verò non habuerint, dicitur Præfatio de Tempore,

vel

vel Octava, infra quam contigerit hujusmodi Missas celebrari: alioquin Præfatio communis Rubr. Missal. *p.* 1. *tit.* 12. *n.* 4. Idem intellige de *Communicantes:* prout clarè habetur ex Arnaud. *part.* 1. *tit.* 12. *num.* 6. Quart. *part.* 1. *tit* 4 *dub.* 1. Lohner. Ex his pro Praxi advertenda sunt sequentia:

VI. *Primò*: Si petatur Missa Votiva in Festo, e. g. Semiduplici, & nec Festum, nec Votiva habeat *Præfationem*, vel *Communicantes* proprium, dicitur Præfatio, &c. de Tempore (sive de die occurrente) propria, vel communis. Si verò Votiva habeat Præfationem propriam, ea semper (quod universaliter nota) dicitur, non obstantibûs aliîs quibuscunque: cùm Rubr. absolutè dicat: *In Missis Votivis dicitur Præfatio propria, si propriam habeant.*

VII. *Secundò*: Si in Festo Semiduplici occurrente infra Octavam S. Crucis, vel SS. Philippi & Jacobi Apost. tempore Paschali, dicenda sit Missa Votiva, e. g. in honorem S. Josephi, qui propriam Præfationem non habet, dicitur Præfatio de S. Cruce, vel de SS. Apostolis, non autem Paschalis, propter Rubricam *n.* 5. cit. Ne autem illa Rubrica cuiquam scrupulum generet,

 neret,

neret, & quis ex verbis, *dicitur Præfatio de Tempore, vel Octava*, inferat, particulam *vel*, significare, quòd Præfatio alterutra ad libitum recitari possit; aut quòd tunc solummodò ea de Octava dici valeat, si de Tempore occurrente propria non habeatur, sciendum est, præfata verba nihil aliud inferre, nisi quòd, si Missa Votiva non habeat Præfationem propriam, ea dicenda sit de Tempore currente: si verò occurrat Octava propriam habens Præfationem, eadem dicatur de Octava, non obstante, quòd etiam in Missa de tempore propria habeatur Præfatio. Et hæc, præter universalem Celebrantium praxin, desumuntur tum ex ipsa Rubr. cit. dum absque reflexione ad tempus factâ ait, *dicitur Præfatio de Octava, infra quam contigerit hujusmodi Missa celebrari.* Tum à paritate rationis ex ipsa Rubr. cit. *num.* 2. *&* 3. Tum ex Gerlac. *part.* 1. *tit.* 12. *num.* 5. Gav. *part.* 1. *tit.* 12. *num.* 5. *litt.* G. docentibus, Præfationem de Octava habere quasi rationem de tempore. Tum ex eo, quòd major sit ratio Octavæ, quàm temporis in hujusmodi casu. Tum etiam, quòd, si Missa de Semiduplici, vel Duplici infra Octavam propriam Præfationem habentem, tempore Paschali celebrari deberet, Præfatio

de

de Octava, non autem de tempore dicenda esset; suppositô, quòd Festum Duplex, vel Semiduplex propriam non habeat. Vide Rubr. cit. *num.* 2. *&* 3.

VIII. *Tertiò*: Si occurrentibûs duabûs, vel tribûs Octavîs, e.g. Ascensionis & S. Crucis, occurrat cum iis etiam Festum Semiduplex, & eodem die dici debeat Votiva Missa propriam Præfationem non habens, dicitur ea (prout etiam *Communicantes*) de Octava digniori, e.g. de Ascensione; nisi dignior Octava Præfatione propria careat. Idem intellige, si Officium occurrat de die infra Octavam dicendum cum commemorat. alterius diei infra Octavam occurrentis.

IX. *Quartò*: Si Votiva Missa infra Octavam Ascensionis dicenda Præfationem propriam habeat, hæc non omittitur: *Communicantes* tamen sumitur de Ascensione. Gav. *part.* 1. *tit.* 12. *num.* 5. *litt.* G. Gerlac. Nec mirum; cùm etiam, si Festa SS. Apostolorum Philippi & Iacobi, ac Inventionis S. Crucis occurrerint infra Octavam Ascensionis, Præfatio in Missa dicenda sit de Apostolis, vel de Cruce; at *Communicantes* de Ascensione. S. R. C. 28. *Aug.* 1627.

Quod idem dicendum de aliis Festis, ac de Missis Votivis propriam habentibus Præfationem, & infra eandem Octavam (Ascensionis) celebrandis: sicut & hoc prorsus servandum infra octavam Epiphaniæ, si fortè dicenda sit Missa Votiva solemnis pro re gravi, vel publica causa, &c. Pitton. *num.* 160. Cæterùm, notandum hîc est *primò* Decretum S. R. C. 16. *Junii* 1708. quod sic sonat: *Quando per annum fit apud Privilegiatos Officium de Immaculata Conceptione, vel sub alio Titulo, vel de S. Maria in Sabbato, vel de SS. Sacramento, si dicatur aliqua Missa Votiva non habens Præfationem propriam, Præfatio debet esse de Communi, vel de Tempore, si tunc specialis dicatur, non verò ea, quæ est conformis Officio, & servetur Rubrica Generalis Tit.* 12. Hoc ipsum ex eadem ratione observandum est à Fratribus Minoribus, quando ex concessione recitant per annum de S. Francisco, vel de SS. Stigmatibus ejusdem. Notandum est *Secundò*, quòd Benedictus XIII. ad pias preces Cæsareæ Majestatis Caroli VI. benignè indulserit, atque concesserit, ut singulis anni Sabbatis Officiô novem Lectionum minimè impeditis, & exceptis Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, ac Vigiliarum temporibus, in omnibus Re-

gnis,

gnis, Dominiis, & Ditionibus prædictæ Majestati subjectis, extra tamen Italiam, Officium Immaculatæ Conceptionis B. V. M. ab universo illorum Clero tam Sæculari & Regulari sub ritu duplici recitari, & Missa respective celebrari possit & valeat. *Die* 15. *Dec.* 1727. Ex qua concessione in hujusmodi Territoriis tollitur omne dubium, Rubricâ Missalis *p.* 1. *tit.* 4. *n.* 3. absolutè loquente, Missas Votivas dici posse pro arbitrio Sacerdotum, *quocunque die Officium non est duplex*, *&c.* Vid. etiam dicta in *Prænot. suprà*, *num.* 3.

X. Expleto Canone, & aliis omnibus, repetitoque post ultimam Postcommunionem *Dominus vobiscum*, in Missis Votivis privatis semper dicitur, *Benedicamus Domino*, non obstante, quòd in Officio diei dictum sit, *Te Deum laudamus*, & in ejusdem Missa Festiva pronuntiandum, *Ite Missa est.* Excipiuntur tamen Votivæ B. V. Mariæ in Sabbato tantùm, & SS. Angelorum quotidie, in quibus dicitur, *Ite Missa est*: eò quòd juxta Decret. S. R. C. 14. *Maji* 1662. in iis etiam recitari debeat, *Gloria in Excelsis* (de quo suprà §. 3. *num.* 2.) non obstante, quòd Officium diei non admittat, *Te Deum laudamus.* Sunt autem

prædicta sic observanda propter absolutam Rubricam Missal. *part.* 1. *tit.* 13. *num.* 1. dicentem: *Ite Missa est*, dicitur, quandocunque dictum est, *Gloria in Excelsis*. Cùm non dicitur, *Gloria*, ejus locò (hoc est, locò *Ite Missa est*) dicitur *Benedicamus Domino*.

XI. Quoad ultimum Evangelium patet Rubr. loc. cit. *num.* 2. dicens: *In Missis Votivis nunquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Joannis*, In principio erat Verbum.

ADDITIO

Pro Missis Votivis Solemnibus.

I.

CUm Missa Solemnis quandoque vocetur etiam illa, quæ fit cum Cæremoniis solemnibus, ut notat Gobat Theol. Experim. *Tr.* 3. *Casu* 21. *n.* 700. citans Gav. *part.* 4. *tit.* 17. non tamen in ea omnes Missæ solemnis ritus adhibentur; hinc Missæ Votivæ Solemnes bene dividuntur in Solemnes pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, & in eas, in quibus

bus præter Miniſtros ſacros, & cantum aliud quid ſpecialis ſolemnitatis non adhibetur; nec res gravis, vel publica Eccleſiæ cauſa, ſed ſolummodò privata devotio, vel neceſſitas unius, vel etiam plurium perſonarum attenditur. De Votivis ſolemnibus ſecundi generis ſpeciale quid notandum non venit: nam omnia, quæ de Votivis privatis dicta ſunt, etiam iſtis applicari debent, videlicet: ut dicantur plures Orationes, prout in Feſtis Simplicibus, Quart. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 14. ℣. *In Miſſis Votivis:* non dicatur *Gloria*; quia non in qualibet Miſſa Votiva, quæ cantari poteſt, dicitur *Gloria*, ſed ſolùm, quando ſolemniter celebratur pro re gravi, &c. Quart. cit. *tit.* 8. ℣. *Et niſi Miſſa.* Excipe, niſi Votiva dicenda ſit de B. V. M. vel SS. Angelis, ut dictum eſt ſuprà, §. 3. *num.* 2. Item non dicitur *Credo.* Vide Rubr. Miſſal. *part.* 1. *tit.* 8. *num.* 4. Item *tit.* 9. *num.* 14. & *tit.* 11. *num. un.*

II. In Miſſis Votivis ſolemnibus pro re gravi, &c. plura quidem notanda ſunt: cùm verò eadem paſſim in Rubrica, ut in locis *num. præc.* citt. & alibi, inveniantur, brevitatis gratiâ hoc loco omittuntur. Ut tamen ſciatur, quid ſub verbis, *pro re gravi,*

vi, intelligatur, videndum est Decretum S. R. C. 19. *Maji* 1607. videlicet: Res gravis pro licita Votivæ solemnis decantatione cum *Gloria* & *Credo*, ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo (subintellige, ubi hic reperitur) vel apud Regulares in eorum Comitiis Generalibus, seu Provincialibus; cùm cantatur Missa pro re, eorundem judiciô, gravi. *Causa publica* verò (quæ cum causa, vel re gravi multùm convenit) apud Lohner *part.* 4. *tit.* 2. *§.* 1. *num.* 7. vocatur ea, pro qua totus Clerus cum Episcopo (intellige iterum, ubi hic reperitur) convenire solet; quales sunt: si Votum pro malo gravi avertendo factum sit exolvendum, aut gratiæ pro accepto aliquo grandi beneficio solemniter sint agendæ, aut Comprecatio 40. (vel etiam 10.) horarum instituta sit: item, si pro acquirendo grandi & publico beneficio, vel avertendo malo, quod rationabiliter timetur, supplicetur. Ex quibus colligitur, non quamlibet causam gravem, vel publicam sufficere ad hoc, ut Missa Votiva solemnis cum *Gloria* & *Credo*, dici possit, sed eam, quæ concernit per se, vel per accidens notabiliter, Communitatem, vel saltem notabilem ejus partem: item nobilem & præcipuam quandam

Fami-

Familiam, ex cujus conservatione Communitati publicæ multùm utilitatis accidere potest. Non tamen ideò solùm id concedendum videtur, ut stemma Nobilitatis prolongetur, & continuetur. Quare, si e. g. Persona privata (etiam nobilis) morti jam proxima, reconvaluerit, non est dicenda Missa Votiva solemnis cum *Gloria & Credo*: secùs, si ejusmodi casus contingat in Persona Regis, Principis, aut etiam Filii unigeniti Familiæ illustris, per hunc solum ob communem utilitatem, vel necessitatem propagandæ: quia ejusmodi casus concernunt totam communitatem, causam gravem, & publicam Idem in pluribus aliis ejusmodi casibus intellige.

III. In Professione Religiosorum, ac Monialium, nec non in Primitiis Neomystarum, posse celebrari Missam de Spiritu sancto, vel aliam Votivam pro sua devotione, esto alioquin sit Officium duplex, aut Dominica; nisi fuerit ex principalioribus, seu primæ classis, aut Dominica privilegiata pariter primæ classis, tenet Kerkhove Comment. *cap. 2. §. 2. num. 29.* allegans consuetudinem, & simul reddens rationem boni communis, tum Religionis, tum Ecclesiæ. Contrarium tamen tenet

net Gerlac. *part.* 1. *tit.* 4. *num.* 18. dicens: In susceptione habitûs aut professione Monialium, præsertim diebus Dominicis, & Festivis, non est dicenda Missa Votiva de Spiritu sancto, aut alia, sed Missa de Officio, in qua addatur Oratio de Spiritu sancto, vel alia pro eisdem præscripta; nam in consecratione Episcopi, in Ordinationibus generalibus, benedictione Abbatis, Abbatissæ, & Virginum, atque consecratione Regum, & Reginarum, juxta Rubricas Pontificalis, Oratio tantùm additur Missæ occurrenti de die; quid ni igitur in illis minoris momenti actibus idem observandum? Hæc Gerlac. quæ etiam pugnant contra Primitias Neomystarum. Vid. *Tract. de Defectib. Miss. in prænot. num.* 42.

IV. Possunt autem ejusmodi Missæ Votivæ solemnes pro re gravi, vel publica causa dici in omnibus Festis etiam duplicibus, modò non sint primæ classis. Ita Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 1. *n.* 7. citans Gav. *part.* 1. *tit.* 4. *litt.* O. cum Diana & pluribus aliis, Arnaud. *part.* 1. *tit.* 4. *num.* 3. Quart. Possunt etiam dici in Dominicis privilegiatis, modò pariter non sint primæ classis. Desumitur id à paritate rationis de Festis duplicibus, quibus ejusmodi Missæ

Missæ celebrari possunt. Unde Missæ Votivæ solemnes pro causa gravi non possunt dici Fer. 4. Ciner. Dominica 1. Quadragesimæ, Passionis, Palmarum cum tota Hebdomada sancta; in Dominic. Resurrectionis, & Pentecostes cum sequentibus duobus diebus; item in Dominica in Albis, Dominica 1. Adventûs, & in quolibet Festo 1. classis. Fagioli in Calend. perpet. rational. Annotat. in Febr. *num.* 13. citans Quart. *part.* 1. *tit.* 4. *pag.* 70.

Dices, in Decreto Clementis XI. emanato 20. *Jan.* 1705. & reperibili in suo Bullario *part.* 2. *num.* 9. Festa non solùm primæ, sed etiam secundæ classis excipi, ut in hujusmodi Festis in Comprecatione XL. horarum (quæ inter causas publicas numeratur) Missa Votiva solemnis dicì non possit. ℟. hoc Decretum non esse universale Urbis & Orbis, sed esse instructivum directum ad solos Italos; quia in dicto Bullario Editione Romana *anno* 1723. solummodo in lingua Italica exprimitur, & continetur in secunda parte Bullarii Clementis XI. cui secundæ parti præfixus Titulus hic est: *Edicta, Decreta, & Mandata ad Spirituale, & temporale* (NB.) *Urbis, Ditionisque Pontificia regimen pertinentia.* Sitamen

men rite probes, hoc Decretum Italos directè quidem respicere, sed indirectè saltem etiam universalem Ecclesiam quà declaratorium concernere, sic utique, si de publicatione & receptione legitime constat, sentiendum, & servandum, atque à celebrandis Missis Votivis solemnibus in Festis & Dominicis 1. & 2. classis abstinendum erit. Vid etiam Kressling. in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenst. tr. 14. dist. 5. Append. III. Addit. VI.*

V. Porrò, in Votivis solemnibus pro re gravi, & publica Ecclesiæ causa, decantandis Missis eadem observanda sunt, quæ hactenus de privatis dicta habentur, quibusdam tamen exceptis: 1. Dicitur *Gloria in excelsis:* dummodo non celebrentur cum Paramentis violaceis. Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 8. *num.* 4. 2. Dicitur una tantùm Oratio: sed in Missa pro gratiarum actione additur alia Oratio, ut in proprio loco, videlicet post Missam Votivam SS. Trinitatis in fine Missalis, notatur. Rubr. cit. *tit.* 9. *num.* 14. Lohner *part.* 4. *tit.* 2. *§.* 3. *num.* 2. Quart. *part.* 1. *tit.* 4. 3. Dicitur Symbolum, seu *Credo:* præterquam, quando adhibetur color violaceus; quia tunc nec *Gloria*, nec *Credo* dicitur, nisi fuerit Domini-

minica, qua die dicitur *Credo* tantùm. Rubr. cit. *tit.* 11. Lohner cit. *num.* 1. citans Decret. S. R. Congreg. 4. Præfatio dicitur in cantu solemni, ut in duplicibus: aliàs in cantu Feriali. Rubr. *tit.* 12. *num.* 4. ac in Ord. Missæ, ubi pro Votiv. de SS. Trinitate, de S. Cruce, de Spiritu S. de B. V. M. &c. præscripta habetur *Præfatio ferialis.* quæ autem dicuntur de Præfatione, etiam de Oratione, ac aliis cantandis intelligenda censentur. 5. Si dicatur Missa Votiva præfata infra Octavam proprium *Communicantes*, & *Hanc igitur* habentem, observanda sunt ea, quæ habentur suprà, §. 5. *num.* 5. *& seqq.* Nec obstat, quòd nulla fiat in Missa Octavæ occurrentis commemoratio; quia *Communicantes*, *&c.* infra Octavam, e. g. Ascensionis, habet quasi rationem de tempore, sicut haberet etiam Præfatio de Octava, &c. Vide Rubr. cit. *tit.* 12. *n.* 3. Gav. *part.* 1. *tit.* 12. *num.* 5. *litt. G.*

VI. Quæritur autem, qualis Præfatio dicenda sit in Missa Votiva solemni pro re gravi, infra Octavam Nativitatis Domini, celebrata? Resp. Si Votiva habeat propriam, ea omnino dicenda est, prout decrevit S. R. C. 25. *Septemb.* 1706. & confirmavit Clemens XI. 29. *Septemb.* 1714.

Unde non poterit ampliùs sustineri id, quod cum Gav. *part.* 1. *tit.* 12. *num.* 4. *litt.* D. communiter hactenus docuerunt Rubricistæ Arnaud. Gerlac. Lohner, Quart. videlicet: *Votivæ Missa infra Octavam Nativitatis Domini non habent aliam Præfationem, quàm de Nativitate*, *&c.* Nihilominus *Communicantes*, de Nativitate dici debet, ut *num. præc.* dictum est.

VII. Pro Coronide hujus Additionis notandum etiam est, quod habet Arnaud *Tract.* 1. *part.* 4. *tit.* 17. *num.* 5. dicens: Infra Octavam Paschæ si Votiva cantetur pro re gravi, in ea non dicitur *Graduale*, sed quatuor *Alleluja* cum duobus ℣℣. ritu Paschali: & in fine Missæ dicitur, *Ite Missa est*, vel (juxta exigentiam Missæ) *Benedicamus Domino*, sine duplici *Alleluja*. Gav. *part.* 4. *tit.* 17. *num.* 12. Lohner cit. *num.* 3. Dicitur tamen *Præfatio*, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, de Octava, nisi Votiva Præfationem propriam habeat; quia tunc ea dicitur, at *Communicantes*, & *Hanc igitur*, de Octava.

TITU-

TITULUS II.

De Missis privatis de Requiem.

Absolutô Titulô de *Missis Votivis* tractante, sequitur Titulus II. de Missis privatis de *Requiem* celebrandis. Ut autem consideranti patet, hic quoque Titulus varias continet difficultates. Quare ut de iisdem, ac tota materia Missæ de *Requiem*, non inutiliter agatur, ea in tres §§. distincta proponitur.

§. I.

Quid quoad Missas privatas de Requiem notandum.

I.

Suppositîs iîs, quæ in Prænot. *num.* 3. *& seq.* dicta sunt, sciendum est, quòd quatuor inveniantur Missæ de *Requiem* in Missali Romano, scilicet: Missa pro

die Animarum: pro die Obitûs, seu Depositionis Defuncti: pro Anniversario: & Missa quotidiana Defunctorum. Missa *prima*, seu pro die Animarum dicitur in ipsa die Animarum, non autem per illius Octavam, ut desumitur ex Gav. *part.* 4. *tit.* 18. *num.* 6. Gerlac. quare per Octavam dicenda est Missa quotidiana; nisi ex privilegio, vel concessione speciali aliter fieri oporteat: quod etiam de aliis diebus per anni decursum occurrentibus intellige. Item, dicitur Missa prima in die depositionis, & Anniversario, imò etiam in tertio, septimo, & trigesimo depositionis Summi Pontificis, Episcoporum, & Cardinalium, cum Orationibus propriis. Rubr. Missal. Arnaud *p.* 4. *tit.* 18. *num.* 1. Gav. *part.* 4. *tit.* 18. *n.* 6. *& seq.* Missa *secunda* dicitur in die depositionis, tertio, septimo, trigesimo, & Anniversario Sacerdotum, cum Oratione propria *pro defuncto Sacerdote.* Nec obstat, quòd in ea nulla fiat mentio diei septimi, trigesimi: nam eadem quoque Oratio pro Papa dicitur in obitu, & Anniversario ejusdem (ut mox vidimus) nulla facta Anniversarii mentione. Gav. cit. *num.* 11. Arnaud. cit. *num.* 2. Gerlac. *part.* 2. *tit.* 13. §. 10.

II. Pro

II. Pro Diaconis, Subdiaconis, Clericis, & Laicis: etiam Imperatoribus, Regibus, &c. dicitur in die obitûs, tertio, ſeptimo, & trigeſimo, Miſſa ſecunda cum Oratione, *Deus: cui proprium eſt*, *&c.* quæ dicitur in die depoſitionis tantùm: in die autem tertio, ſeptimo, & trigeſimo depoſitionis, dicitur Oratio, *Quæſumus Domine*, cum Secreta, & Poſtcommunione, ut habetur immediatè poſt Miſſam, *In die obitûs.* In horum autem Anniverſario dicitur Miſſa tertia. Arnaud citat. *num.* 3.

III. Pro recenſitis *num. præc.* ſi proximè obierunt, longè tamen à nobis, prima vice poteſt dici Miſſa, *ut in die tertia*, omiſſô verbô, *tertium.* Gav. cit. *num.* 15. Arnaud cit. *num.* 4. Idem intellige, ſi Miſſa celebretur in obitu alicujus abſentis: dicitur enim, ut in die depoſitionis cum una Oratione, quæ eſt aſſignata pro diebus tertio, ſeptimo, & trigeſimo: Et hoc quidem, quando pro obitu celebratur; nam aliàs dici debet Miſſa communis (ſeu quotidiana) cum Oratione *Inclina*, vel *Quæſumus*; vel propria, ſi ſit Sacerdos. Caſtald. *lib.* 2. *Sect.* 6. *cap.* 5. *num.* 9. Unde advertendum, quòd extra prædictos dies, ac illis etiam diebûs, qui occurrunt inter ter-

tium & septimum, ac septimum & trigesimum depositionis pro præfatis omnibus, etiam Summis Pontificibus, dicantur Missæ, ut in quotidianis Defunctorum cum propriis Orationibus, ut habentur inter *Orationes diversas pro Defunctis*. Gav. cit. *num.* 9. & 12. Arnaud. cit. *num.* 5. Præfata etiam intelligenda sunt, quando in quibusdam Confraternitatibus vel pro singulis Confratrum defunctorum animabus singulæ Missæ celebrantur, vel ad initium, aut finem cujuslibet Mensis pro Confratribus Mense præcedente defunctis una Missa offertur: dicitur quippe (nisi de speciali privilegio constet) Missa quotidiana; cum ejusmodi Missæ neutiquam videantur habere rationem Obitûs, vel Depositionis diei. Dies autem tertius, septimus, trigesimus, & Anniversarius numerantur à die obitûs, vel à die depositionis seu sepulturæ, nisi alia sit locorum consuetudo, aut Testatoris verba aliud sonent, præsertim quoad Anniversarium celebrandum. Gav. *n.* 9. Arnaud. Cæterùm, fiunt ubique Anniversaria pro Defunctis extra diem præcisum annuum, & non incongruè cum propria Missa, ut notat Gav. cit. Nota tamen duo Decreta S. R. C. quæ sic sonant; *Primum*: Officium Aniversarium Defunctorum post obi-

obitum, si cadat die Dominico, vel Festivo, transfertur in diem sequentem cum eadem solemnitate. 23. *Maji* 1603. *Secundum*: Anniversaria relicta ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitûs, etiam in duplici maiori contingentis, possunt celebrari. 22. *Nov.* 1664. Hoc Decretum intelligitur de unica Missa *de Requiem* cantata, non verò de Missis privatis. Merati in *Ind. Decret. num.* 422.

IV. Occasione prædictorum dubitatur, & quæritur, utrùm præsente seu insepulto corpore in Ecclesia dici possint Missæ privatæ *de Requiem*, in Dominicis, Festis, & Duplicibus? Resp. non posse celebrari. Ita Gav. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 2. *litt.* X. Gerlac. *p.* 1. *tit.* 5. §. 2. Arnaud. *part.* 1. *tit.* 5. *n.* 4. Quart. *part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 2. ℣. *dico tertiò.* Patet hoc ex Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 5. *n.* 2. ubi absolutè dicitur: *Missæ privatæ pro Defunctis quocunque die dici possunt, præterquam in Festis duplicibus, & Dominicis.* Accedit Decretum S. R. C. 5. *Aug.* 1662. in quo absolutè, & simpliciter, ac *districtè præcipitur omnibus, & singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessariò exprimendi, ut Missas privatas pro*

Defunctis, seu de Requiem, in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præsumant. Unde bene infert Joseph de Brend. dicens: Missæ privatæ Defunctorum in Duplicibus (idem intellige de Dominicis, & Festis) nunc prohibentur sub quolibet prætextu etiam præsente Corpore: ex Decret. S. R. C. 5. *Aug.* 1662. & Matthæuc. Offic. Cur. Eccles. *cap.* 10. §. 2. *num.* 67. dicens: *In duplicibus (unica exceptâ præsente corpore) celebrari non possunt Missæ de Requiem, ut approbante Alexand. VII. &c.* Porrò hactenus dicta intelligenda etiam sunt, si dies obitûs, &c. incidat infra Octavam, aut in Feriam privilegiatam, in quibus non dicuntur Missæ Votivæ privatæ (ut in Prænot. *num.* 3. dictum) tunc enim una Missa solemnis tantùm celebratur de *Requiem*; aliæ verò privatæ de die, applicandæ tamen defuncto. Gerlac. *part.* 1. *tit.* 5. *§.* 16. Bauldr. *part.* 3. *tit.* 5. *num.* 6.

V. Ulteriùs quæritur, quid faciendum Sacerdoti, si in Festo duplici, vel eo die, quo nequeunt dici Missæ privatæ de *Requiem*, vocatus, vel jussus præsente corpore, aut etiam in die septimo, trigesimo, &c. Missam celebrare debeat, suppositô, quòd etiam in illa Ecclesia, ubi celebrandum est,
de

de duplici, vel Feria privilegiata, &c. agatur? Idem quæritur, si in Sacello aliquo privato, seu domestico, præsente Funere illustris, vel insignis Personæ Missam dicere debeat? Ante R., pro certo supponendum est, ejusmodi Missas non nisi privatas censeri, & censendas esse. Hoc supposito, Resp. In propositis casibus Missam de duplici, vel Feria privilegiata, &c. dicendam esse, ut patet ex dictis *num. præc.* Quòd si tamen plures simul celebrent ad eandem intentionem, e. g. in die depositionis, & Missam dicant de *Requiem*, nolentes servare, nec servari Rubricam, sed magis ignoranti petentium voluntati satisfacere volentes, ad plura incommoda evitanda, & ne indignationem, scandalum, & similia pariat, in nomine Domini sese aliis accommodet. Viderint autem illi, qui talibus Ecclesiis Præpositi, etsi facilè possent, similes tamen abusus non tollunt. Porrò idem, ac priùs sentiendum est, si plures succeslivè ad eandem intentionem celebrent; & alii omnes antecedentes, & subsequentes Missam de *Requiem*, dicant. Secùs est; si alii quoque, etsi non omnes, Rubricas observantes Missam de Festo dixerint, vel dicturi sint; aut alias absque incommodo, confusione, & notabil pe-

tentium turbatione, levî brachiô Rubrica observari queat. Quòd si verò in hujusmodi casibus solus celebret Missam privatam, quoad potest, Rubricam manuteneat, ac etiam petentes, quòd meliùs sit, Ecclesiæ sanctæ humiliter obedire, & Missam Officio conformari, instruat. Quart. cit. ℣. *Colligitur primò.*

VI. Hactenus dicta etiam applicari debent, si pro anima cujusdam defuncti, donec dies depositionis illucescat, in Parochiis, aut Regularium Ecclesiis petatur certus Missarum numerus successivè, vel simul celebrandus. Nec in eo casu dicenda est una de *Requiem*, & reliquæ de die currente, sed omnes æqualiter de Festo vel Feria privileg. non enim habent ejusmodi Missæ rationem diei depositionis solemniter celebrari; cùm iste non nisi unico die agi queat, ut patet tum ex se, tum ex dictis *num.* 3.


VII. Sed quid, si in præfato casu *n.* 5. (quoad 2. partem, ℣. *Idem quæritur.*) & *num.* 6. ex legitima consuetudine introducta, vel aliunde necessariò dici debeat Missa de *Requiem*, qualis Missa sumenda? Hoc ipsum quæritur, si ejusmodi Missa cele-
branda

branda sit diebûs, quibus dici possunt Missæ de *Requiem?* Resp. Regulariter dicendam esse Missam quotidianam cum 3. Orationibus; idque conformiter dictis *num.* 3. Si tamen probes, & teneas, hujusmodi Missas ante diem sepulturæ habere rationem diei obitûs, seu Depositionis (quæ duo quandoque pro eodem accipiuntur, ut notat Quart. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 2. ℣. *Aliqui*, & *seq.*) utiquerectè sumetur Missa secunda, sive *pro die obitûs.* Hoc tamen non nisi ipso obitûs & Depositionis die: nam dies intermedii inter diem obitûs & Depositionis, seu sepulturæ, non habent rationem diei obitûs. Dictum est autem, *Regulariter*: quia (suppositô, quòd aliunde Missæ privatæ de *Requiem* dici possint) bene præfata Missa pro die Obitûs assignata legitur eo die, quo corpus Defuncti sepulturæ traditur. Quod tamen intelligas tantum de Missis coram Funere deposito, vel in Ecclesia Parochiali propria ad inchoandam, vel complendam Depositionis solemnitatem celebrandis: nam in aliis sive Parochialibus, sive Religiosorum Ecclesiis præfato etiam die non alia, nisi *Quotidiana* Missa dicenda est.

VIII. Quid

gatione, sive ex sola Fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur. 23. *Septemb*. 1669.

Quartò: Decreta posita *num*. 2. & 3. licèt comprehendant tantùm Festa duplicia, intelligenda tamen sunt etiam de Dominicis, de diebus infra Octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi, & de omnibus aliis diebus, quibus juxta Rubricas non possunt celebrari Missæ Defunctorum, 3. *April*. 1688. Cùm igitur in Duplicibus, & aliis in Prænot. citatis diebus Missæ de *Requiem*, dici nequeant, & per Missas de Festo duplici, &c. celebratas, etiam in Altari privilegiato, satisfiat, eædem omnino juxta Rubricas, id est de Duplici, &c. non autem de *Requiem* celebrari debent. Cæterùm pro majori dictorum confirmatione addere placuit Bullam Innocentii XI. sequentis tenoris.



INNO-

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias postquam fel. recor. Alexander Papa VII. Prædecessor noster, per quasdam suas in simili forma Brevis die 25. Jan. 1667. expeditas litteras, dubia in diversis Mundi partibus, occasione Decreti Congreg. tunc existentium S. R. E. Cardinal. Sacris Ritibus Præpositorum die 5. Aug. 1662. emanati, & ab ipso Alexandro Prædecessore approbati, de non celebrandis Missis Defunctorum in Festis ritûs duplicis, exorta dirimere cupiens, inter cætera quoad Altaria privilegio Apostolico pro Animabus Fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde etiam in Festis ritûs duplicis celebrandæ fuissent Missæ Defunctorum ex obligatione, declaraverat, per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias, per ejusmodi privilegia Apostolica, concessas Animabus Fidelium Defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum ad formam dictorum Privilegiorum.

Rec. mem.

Rec. mem. Clemens IX. pariter Prædecessor noster aliam subinde ortam dubitationem, utrùm scilicet dictarum Alexandri Prædecessoris litterarum dispositio, quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Missæ non ex obligatione, sed ex sola Fidelium devotione celebrarentur, locum haberet? Similiter tollere desiderans, declarationem à memorato Alexandro Prædecessore, sicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, tunc & in futurum quandocunque privilegiata, authoritate Apostolica extendit: & proinde, ut Missæ, quæ ibidem de Festo currenti, in quo Missa Defunctorum celebrari non possent, sive ex obligatione, sive ex sola Fidelium devotione, celebrandæ essent, suffragarentur, ita ut animæ Christi Fidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequerentur in omnibus, & per omnia, perinde ac si Missæ Defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratæ fuissent, eadem authoritate concessit, & indulsit, & aliàs prout in ipsius Clementis Prædecessoris Litteris, etiam in forma Brevis die 23. Septembris 1669. desuper expeditis (quarum, & præfatarum Alexandri Prædecessoris Litterarum

tenores

tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus) ulteriùs continetur.

Cùm autem postmodum, sicut accepimus, novum circa præmissa excitatum fuerit dubium, videlicet, an supradicta Alexandri, & Clementis Prædecessorum declarationes, sibi pariter locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliísque anni diebus, quibus, licèt à Festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ Defunctorum juxta ritum, & morem Ecclesiæ celebrari nequeunt; quatenus nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrare licet, servata cæteroquin dictorum privilegiorum forma, ad præfata Altaria privilegiata celebrarentur? Nósque dubium hujusmodi Congreg. Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinal. Sacris Ritibus Præpositorum, examinandum commiserimus, ac eadem Cardinalium Congregatio, re maturè discussa, nuper per suum Decretum die 3. Aprilis proximè præteriti editum, præfatas Alexandri, & Clementis Prædecessorum declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus quibus juxta Rubricas Missæ Defunctorum celebrari non possunt, responderit.

Hinc est, quod Nos ex commissæ Nobis calitùs dispensationis munere Fidelium Defunctorum anima-

animarum, in Purgatorio existentium Suffragiis per ampliùs consulere cupientes, Decretum hujusmodi à memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, Apostolica Authoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis authoritate supradictæ Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, &c. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud Sanct. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Maji, millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, Pontificatûs nostri anno duodecimo,

J. F. Albanus.

Ex dictis

IX. Quæritur *Primò*: Utrùm saltem illîs diebûs, quibûs Missæ de *Requiem* celebrari possunt, e.g. in Semiduplici, defactò in Altaribus qualitercunque privilegiatis, ad suffragandum Altaris privilegium pro Defunctis necessariò dici debeat Missa de *Requiem*; vel, an satisfieri possit petentium voluntati, ac privilegium suffragari etiam per Missam de Semiduplici, Feria per annum, &c. (suppositô, quòd Offi-

cium diei de iis recitatum sit) æquè, ac per Missam de Duplici, Dominica, ac aliis diebus privilegiatis? Ante ℞. supponendum est, quod docet Pasqual. *Tract.* 1. *de Sacrif. Missæ. quæst.* 731. *num.* 1. dicens: Est extra controversiam, quòd si in concessione indulgentiæ exprimatur, quòd celebranti Missam de *Requiem* in tali Altari conceditur, ut liberet animam à pœnis Purgatorii, necessariò sit celebranda Missa de *Requiem*, quia jam constat de mente Pontificis. Idem loc. cit. *num.* 6. Si concessio non requirat, quòd Sacrificium offeratur pro defuncto; sed simpliciter concedat, quòd celebrando in tali Altari liberetur anima à Purgatorio per applicationem tantæ Indulgentiæ, quanta sufficiat pro pœna solvenda, tunc non est necessarium celebrare Missam de *Requiem*, sed sufficiet quæcunque alia Missa. Hîs, & illîs, quæ *num. præc.* dicta sunt, suppositîs, Resp. In simili casu, ut privilegium Altaris Defunctis prosit, necessariò dici debet Missa de *Requiem*; nisi aliud privilegium, aut specialis concessio emanata existat. Quart. *part.* 1. *tit.* 5. *dub* 11. ubi dicit: Respondeo, quando in privilegio expresse non fit extensio ad quamlibet Missam, necessariò dicendam esse Missam de *Requiem*, aliàs indul-

dultum non suffragatur Defunctis. Gobat. *Tract.* 4. *Quinar. cap.* 26. *de Indulg. Altar. privileg. num.* 524. dicens: Clausula, *Missam Defunctorum*, significat, ad fruendum hoc beneficio omnino exigi, ut fiat Sacrum de *Requiem*; éstque hæc conditio necessariò observanda, quamvis fortè mentio non sit facta in Brevi, ut declaravit Congreg. Rit. apud Barbosam, ℣. *Missa Defunctorum. Coll.* 478. Consentit Pasqual. cit. *n.* 4. dum inquit: Quando in concessione non exprimitur aliqua specialis Missa, sed tantùm dicitur, quòd celebrando pro aliquo defuncto ejus anima liberetur à pœnis Purgatorii, tunc celebranda est Missa de *Requiem*. Rationes videantur apud Authores, maximè Pasqual. citt. Cæterùm Responsio clarè etiam desumi videtur ex ipsa Bulla Clem. IX circa finem: *Et proinde, ut Missæ, quæ ibidem de Festo occurrenti, &c* item ex Decret. S. R. C. 3. *April.* 1686. Et certè his omnibus non obstantibus, utique securior pars eligenda foret in simili casu, ubi Celebranti Missam de *Requiem* dicenti incommodi nihil, plurimum autem utilitatis animæ purganti evenire potest.

X. Quæritur *Secundò*: Utrùm Petrus (qui Officium de duplici recitavit) in Ec-

clesia, ubi Officium de Semidupliei, vel Feria, &c. peragitur, celebrans in Altari privilegiato dicere debeat Missam de *Requiem*, ad hoc, ut privilegium Defunctis suffragetur; vel, an satisfaciat, si celebret Missam de duplici, de quo Officium recitavit? Ante Resp. supponitur, Petrum procul dubio posse in tali Ecclesia dicere Missam de *Requiem*. An autem in posito casu debeat celebrare Missam de *Requiem*, Resp. affirmativè. Ratio est: Quia Decreta *num.* 8. posita privilegium Altaris solummodò illis Missis de Festo, vel die currente celebratis concedunt, quibûs non possunt juxta Rubricas, & specialia Decreta celebrari Missæ de *Requiem*: Cùm verò in præfato casu, juxta suppositum hujus responsionis, Petrus dicere possit Missam de *Requiem*; eadem dicenda est, non autem illa de duplici. Ratio ulterior est: Quia Sacerdos ad alienam Ecclesiam pro celebratione accedens, ritui illius Ecclesiæ se conformare debet, ac si esset de illius gremio, ut quotidiana Praxis Romæ degentium ostendit; Sacerdos autem, qui esset de gremio Ecclesiæ, in qua Festum celebratur sub ritu Semiduplici, ad hoc, ut privilegium Animabus Defunctorum prosit, deberet in Altari privilegiato legere Missam

de

de *Requiem*, quandoquidem nullum esset impedimentum Festi duplicis, aut Octavæ privilegiatæ: ergo etiam alienus Sacerdos illa die, qua in eadem Ecclesia fit de semiduplici, ad hoc, ut privilegium defunctis prosit, in Altari privilegiato legere debet Missam de *Requiem*: nec ulla ratio haberi debet Officii duplicis ab eodem recitati juxta ritum propriæ Ecclesiæ; hoc enim est per accidens, & in Ecclesia illa, ubi Missam celebrat, se habere debet, ac si de Festo semiduplici Officium recitâsset. Idem habet Cajet. Merati *p.* 1. *tit.* 5. *Observat. n.* 8. idque conformiter Decreto S. R. C. 11. *Jun.* 1701.

XI. Quæritur *Tertiò*: Quid notandum quoad Missas triginta (quas vocant S. Gregorii, vulgò Gregorianas) dicendas? Resp. Tria notanda esse. *Primò*: Non est necesse, ut idem Sacerdos per mensem celebret diebus triginta; sed sufficit, si offeratur Hostia per mensem sive ab uno, sive à pluribus. *Secundò*: Sufficit offerri Sacrificium; non autem omnes Missæ dicendæ sunt ritu proprio pro Defunctis, qui in Dominicis, duplicibus, & aliis suprà in Prænot. *n.* 3. citt. occurrentibus prohibetur. *Tertiò*: Continuîs diebûs fieri debent, remota tamen

superstitione. Non autem discontinuantur ob Triduum Sacrum majoris Hebdomadæ, quo ex probato Ecclesiæ usu non debet celebrari. Gerlac. *part.* 1. *tit.* 5. §. 8. Gav. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 3. *litt.* D. Arnaud. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 10. Gobat, &c. Porrò, notandum etiam est, quod hujusmodi Missæ non necessariò in Altari privilegiato legendæ sint; dicit enim Pontifex absolute, *offerre pro eo Sacrificium stude.* Alia de hoc puncto Vid. *Tractat. de Defectib. Missæ, fol.* 593. *n.* 401. ubi specialiter notatur, Missas XXX. Gregorianas quoad Privilegium defunctis tantum prodesse posse.

§. II.

Quid in ipsis Missis privatis de Requiem observandum.

I.

CUm ea, quæ in Missis de *Requiem* omittenda sunt, habeantur tum in Missali Romano, *part.* 2. *tit.* 13. tum suprà, *tit.* 13. per tot. & cæteroquin (suppositis iis, quæ §. *præc.* dicta sunt) potissi-

tissima difficultas quoad Orationes in eis dicendas inveniatur, benignus Lector, quantùm ad *primum* Rubricas Missalis, &c. consulere non dedignabitur: de *secundò* verò hoc §. agemus. Itaque, suppositô, quòd tota Missa de *Requiem*, quamvìs pro uno tantùm dicatur, in numero plurali pronuntianda sit, Orationibûs exceptîs (Rubr. Miss. in fine, Gerlac. *part.* 2. *tit.* 13. §. 4. & 6.) quæritur

II. *Primò*: Quot Orationes in Missis de *Requiem* dicendæ sint? Resp. In die Animarum, seu Commemorationis Omnium Defunctorum, & in die Depositionis, & in Anniversario Defuncti, dicitur una tantùm Oratio; & similiter in die tertio, septimo, trigesimo, & quandocunque pro Defunctis solemniter celebratur: in aliis Missis plures, &c. Rubr. Miss. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 3. Utrùm autem etiam in Missis quotidianis una tantùm Oratio dici queat, dubium esse potest; cùm tamen Rubrica cit. expresse dicat: *In aliis Missis plures, ut de Feriis & Simplicibus, &c*, negativa tanquam vera (nisi aliud obstet) rectè tenetur.

III. Quæritur *Secundò*: Quales Orationes in Missis de *Requiem* dicendæ sint? Resp. In die depositionis, tertio, septimo, trigesimo,

mo, & Anniversario Papæ, Episcopi, Episcopi Cardinalis, Presbyteri Cardinalis, Diaconi Cardinalis, & Sacerdotis, dicitur Oratio propria, prout habetur inter *Orationes diversas pro Defunctis*. Rubr. Missal. Gav. *p.* 4. *tit.* 18. *num.* 6. 7. & 11. 2. Pro aliis in die depositionis, seu obitûs dicitur Oratio, *Deus, cui proprium est.* In die tertio, septimo, & trigesimo, Oratio, *Quæsumus Domine.* In Anniversario, *Deus indulgentiarum.* Quæ Oratio etiam dicitur, si pro tota e. g. Familia Anniversarium celebratur, quamvìs Episcopi, vel etiam Summus Pontifex, sub ea comprehendantur. Secùs, si pro pluribus Summis Pontificibus, vel Episcopis, &c. fiat; quia in his casibus Orationes propriæ, in plurali tamen numero, dici debent. Vide Missal in fine.

IV. In Missis quotidianis Orationes dicuntur, ut infrà. Priùs tamen pro majori notitia supponenda sunt aliqua. 1. In ejusmodi Missis de *Requiem*, dicendæ sunt plures Orationes, ut de Feriis & Simplicibus. Rubr. cit. suprà, *num.* 2. 2. Cùm plures dicendæ sunt Orationes, primô locô dicitur Oratio pro iis, pro quibus Missa celebratur. Secunda & tertia erunt, quæ

secun-

secundô & tertiô locô ponuntur in Missa quotidiana Defunctorum. Lohner *part.* 4. *t.* 3. §. 2. *num.* 4. Poterit tamen secundô locô alia quoque Oratio dici, e. g. pro Parentibus. Quart. *part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 1. ℣. *Respondeo. num.* 7. 3. Quando plures dicuntur Orationes in Missis Defunctorum, ultimô semper locô recitanda est Oratio *Fidelium*, quæ est generalis pro Defunctis. Gerlac. *part.* 1. *tit.* 5. §. 11. Gav. *part.* 4. *tit.* 15. *num.* 19. Arnaud. Lohn. cit. Quart. dictum est autem, *in Missis Defunctorum*: nam, si in aliis Missis eadem Oratio, vel alia pro Defunctis per modum Collectæ, seu commemorationis dicatur, semper ponitur penultimô locô. Rubr. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 6. Hîs suppositîs, sequitur

V. Resp. In Missis quotidianis, dicitur pro Summo Pontifice Oratio, *Deus, qui inter Summos Sacerdotes, &c.* Pro Cardinalibus, Orationes assignatæ post *Missam quotidianam Defunct.* Pro Episcopo, *Da nobis Domine.* Pro Sacerdote, *Præsta quæsumus*, vel Orat. *Deus, qui inter Apostolicos, &c.* Episcopis, & Sacerdotibus propria, & conveniens. Ita colligitur ex Gavant. cit. *tit.* 18. *num.* 12.

VI. In Missis pro uno Defuncto Diacono, Subdiacono, Imperatore, & quocunque alio Sæculari, dicitur (nisi specialiter concessum quid aliud habeatur) Oratio, *Inclina Domine aurem tuam.* Pro una Defuncta quacunque, Oratio *Quæsumus Domine.* Oratio *pro Patre & Matre Sacerdotis:* item *pro Patre tantùm*, vel *Matre tantùm*, dicitur solummodò, quando Celebrans pro suis Parentibus sacrificat: unde in Titulo Orationis additum est ly, *Sacerdotis.* Gav. *p.* 4. *tit.* 18. *num.* 13. Arnaud. Gerlac. Item, si celebrat pro suis, & aliorum Parentibus; in quo tamen casu locò *animabus Patris, & Matris meæ*, dicit *animabus Parentum nostrorum.* Quòdsi autem quis Missam celebret pro defunctis Parentibus alterius cujusdam; si pro Patre tantùm, Oratio erit, *Inclina Domine.* Si pro Matre tantùm, *Quæsumus Domine.* Si pro utraque, Oratio erit *pro pluribus Defunctis.* Pro aliis Defunctis dicuntur Orationes, prout habentur in Missali. Tit. *Missæ pro Defunctis.* Cæterùm, Oratio, *pro defunctis Fratribus, Propinquis, & Benefactoribus*, dicitur etiam (omissis omittendis) si pro Defunctis Fratribus tantùm, vel Propinquis tantùm, &c. celebrandum sit. Si tamen pro uno defuncto, e. g. Fratre, Propinquo, &c. Missa celebretur, sufficere

ficere rectè censetur (saltem ad multos errores evitandos) si dicatur Oratio, *Inclina Domine*, vel *Quæsumus Domine.* vel propria, juxta qualitatem Defuncti.

VII. Sed quid, si Sacerdos Parochus pro Parentibus suis, vel singulis eorum diem depositionis, septimum, trigesimum, vel Anniversarium celebrat: quod idem quæritur, si Sacerdos alius pro Patre suo, vel Matre sua in Ecclesia Parochiali, ubi pro illis dies depositionis, &c. agitur, cum aliis celebrat; qualis in simili casu Oratio dicenda? Resp. Dicendam esse Orationem, quæ habetur in Missa pro die depositionis, septimi, &c. vel Anniversarii; eò quòd hæc sit propria Missis hujusmodi: nec in Rubrica reperiatur exceptio, qualis habetur pro Pontifice, & aliis: & aliunde Orationes pro Defuncto Episcopo, *Da nobis Domine*, & reliquæ, videantur solummodò dicendæ in Missis quotidianis, ut patet in Orationibus, *Inclina Domine. Quæsumus Domine, &c.* ac insuper Gerlac. *p.* 2. *t.* 13. *§.* 11. absolutè dicat: *Pro Laicis certæ sunt regulæ in Missali: In eorum obitu, die tertio, septimo, & trigesimo secunda Missa, in Anniversario verò tertia.*

VIII. Quæ-

VIII. Quæritur ulteriùs, qualis Oratio dicenda sit, si celebrare oportet pro Anima misèrrima, vel liberationi proxima, vel quæ Deo est gratissima, & hujusmodi? In hoc casu, dicunt aliqui, communem esse praxin, & antiquam consuetudinem, ut dicatur Missa quotidiana, uti habetur in Missali absque ulla variatione. Alii forsan opinantur, dicendam esse Orationem, *Fidelium Deus*, *&c.* absque alia, cum intentione sacrificandi pro Defunctis præfatis juxta petentium voluntatem. Sed neutra placet opinio. Non *prima*, etsi dicatur, esse praxin communem: quia non constat, quòd sit ea probata, vel etiam rite approbata consuetudo, ex eo etiam, quia ponitur primô locô Oratio, *Deus, qui inter Apostolicos*, quæ nedum fæminis, sed etiam maribus Laicis convenire nequit; utpote cùm sit propria Episcoporum & Sacerdotum, ut per se patet. Nec dicatur, mares Laicos, & fæminas adhuc sufficienter includi in generali Oratione, *Fidelium*, tertio loco dicendâ? Resp. enim, verum hoc esse quidem; at verò, cùm in Missis Defunctorum primô locô ponenda sit Oratio pro iis, pro quibus tunc celebratur (prout notatum est suprà, *num.* 4.) utique non rectè factum censetur, si primùm in ulti-

ma,

ma, & generali commemoratione de iis mentio fiat, pro quibus principaliter Sacrificium offerendum est.

IX. Nec *secunda* placet opinio: partim, quòd absque sufficienti ratione non servetur Rubrica, *In aliis Missis dicuntur Orationes plures, ut de Feriis, &c.* Rubr. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 3. partim, quòd non verificetur Oratio, *Fidelium*, dum ea nomine Ecclesiæ, secundùm propriam sui institutionem, recitatur quidem pro omnibus Fidelibus defunctis generatim, non tamen hîc à Sacerdote intenditur pro omnibus, sed pro una tantùm, e. g. pro Anima miserrima: partim, quòd non sit liberum Sacerdoti pro libitu suo applicare præfatam, vel aliam Orationem, si aliunde & Rubricæ, & obligationi propriæ, & petentium voluntati satisfieri queat. Hoc igitur ut fiat,

X. Resp. In propositis casibus recitandam esse Orationem pro uno defuncto, *Inclina Domine, aurem tuam, &c.* omissô ly *famuli tui*, ita ut dicatur, *ut animam, quam de hoc sæculo, &c.* quia sic (Rubrica aliud non determinante) sub ratione viri comprehenditur & Sacerdos, & saltem vi intentionis sufficienter exprimitur fœmina.

Nec

Nec erit inconveniens, dicere pro fœmina Orationem viris propriam; cùm in simili casu major utique ratio viri, quàm fœminæ, quæ de viro sumpta est, habenda sit. Et certè, si hoc inconveniens esse videtur; magis tale foret, pro viro, vel etiam pro Sacerdote dicere Orationem, *Quæsumus Domine*, *&c.* fœminis propriam. Dices: quid autem, si in præfata Oratione, *Inclina*, *&c.* dicatur sic, *famuli*, *famulæve tuæ*, *&c.* vel si dicatur, *annimam miserrimam*, *&c.* ℟. hanc quidem extitisse opinionem; quia verò refertur Decretum S. R. C. 23. *Octob.* 1719. prohibens, ne in Oratione pro defunctis aliquid addatur, parendum est.

XI. Ultimò quæritur, quænam Oratio dicenda sit, si pro Omnibus Fidelibus Defunctis Missa petatur? Resp. Pro hujus dubii resolutione duas existere opiniones. *Prima* sentit, dicendam esse Orationem, *Fidelium*, eamque solam cum Sequentia, *Dies iræ*: & hoc tum propter ea, quæ dicta sunt *num.* 4. tum, quòd omnes Defuncti abundè comprehendantur sub ea Oratione, utpote *Generali pro Fidelibus Defunctis*, Rubr. Missal. tum, quòd nulla videatur ratio assignanda, cur hæc solummodò Oratio, extra diem Animarum non valeat dici primô locô,

&

& consequenter (ex alia ratione) ea sola cum Sequentia. *Dies iræ*, in Missis quotidianis Defunctorum. Nec urget *primò*, quòd hoc modo non servetur Rubrica de dicendis pluribus Orationibus, ut in Feriis & Simplicibus; quia hoc fit per accidens, & nulla regula datur sine exceptione, juxta commune axioma. Nec *secundò*: quòd, si præfata Oratio, *Fidelium*, in Missis quotidianis primô locô recitari posset, ea utique non minùs posita esset inter Orationes diversas, ac Oratio, *Deus, veniæ largitor*, quæ aliàs secunda est in Missa quotidiana. Resp. quippe, id necessarium non fuisse; cùm de ea aliàs sufficienter provisum sit: habet enim competentem conclusionem expressam, qualem non habet Oratio, *Deus, veniæ largitor*, ut patet.

XII. *Secunda* opinio, probabilior saltem, & communi praxi conformior tenet, dicendas esse Orationes tres, prout habentur in Missa quotidiana. Desumitur id ab exemplo Ecclesiæ, quæ in Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 1. sequentia præscribit: *Prima die cujusque mensis, &c. dicitur Missa principalis generaliter pro Defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, & aliis:* non habetur, *dicitur Missa pro Sacerdotibus, & fit commemoratio*

pro

tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus) ulteriùs continetur.

Cùm autem postmodum, sicut accepimus, novum circa præmissa excitatum fuerit dubium, videlicet, an supradictæ Alexandri, & Clementis Prædecessorum declarationes, sibi pariter locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus, licèt à Festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ Defunctorum juxta ritum, & morem Ecclesiæ celebrari nequeunt; quatenus nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrare licet, servata cæteroquin dictorum privilegiorum forma, ad præfata Altaria privilegiata celebrarentur? Nósque dubium hujusmodi Congreg. Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinal. Sacris Ritibus Præpositorum, examinandum commiserimus, ac eadem Cardinalium Congregatio, re maturè discussa, nuper per suum Decretum die 3. Aprilis proximè præteriti editum, præfatas Alexandri, & Clementis Prædecessorum declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus quibus juxta Rubricas Missæ Defunctorum celebrari non possunt, responderit.

Hinc est, quod Nos ex commissæ Nobis cælitùs dispensationis munere Fidelium Defunctorum anima-

animarum, in Purgatorio existentium Suffragiis per ampliùs consulere cupientes, Decretum hujusmodi à memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, Apostolica Authoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis authoritate supradictæ Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, &c. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud Sanct. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Maji, millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, Pontificatûs nostri anno duodecimo,

J. F. Albanus. Ex dictis

IX. Quæritur *Primò*: Utrùm saltem illîs diebûs, quibûs Missæ de *Requiem* celebrari possunt, e. g. in Semiduplici, defactò in Altaribus qualitercunque privilegiatis, ad suffragandum Altaris privilegium pro Defunctis necessariò dici debeat Missa de *Requiem*; vel, an satisfieri possit petentium voluntati, ac privilegium suffragari etiam per Missam de Semiduplici, Feria per annum, &c. (suppositô, quòd Offi-

cium diei de iis recitatum sit) æquè, ac per Missam de Duplici, Dominica, ac aliis diebus privilegiatis? Ante ℞. supponendum est, quod docet Pasqual. *Tract.* 1. *de Sacrif. Missæ. quæst.* 731. *num.* 1. dicens: Est extra controversiam, quòd si in concessione indulgentiæ exprimatur, quòd celebranti Missam de *Requiem* in tali Altari conceditur, ut liberet animam à pœnis Purgatorii, necessariò sit celebranda Missa de *Requiem*, quia jam constat de mente Pontificis. Idem loc. cit. *num.* 6. Si concessio non requirat, quòd Sacrificium offeratur pro defuncto; sed simpliciter concedat, quòd celebrando in tali Altari liberetur anima à Purgatorio per applicationem tantæ Indulgentiæ, quanta sufficiat pro pœna solvenda, tunc non est necessarium celebrare Missam de *Requiem*, sed sufficiet quæcunque alia Missa. Hîs, & illîs, quæ *num. præc.* dicta sunt, suppositîs, Resp. In simili casu, ut privilegium Altaris Defunctis prosit, necessariò dici debet Missa de *Requiem*; nisi aliud privilegium, aut specialis concessio emanata existat. Quart. *part.* 1. *tit.* 5. *dub* 11. ubi dicit: Respondeo, quando in privilegio expresse non fit extensio ad quamlibet Missam, necessariò dicendam esse Missam de *Requiem*, aliàs indul-

dultum non suffragatur Defunctis. Gobat, *Tract.* 4. *Quinar. cap.* 26. *de Indulg. Altar. privileg. num.* 524. dicens: Clausula, *Missam Defunctorum*, significat, ad fruendum hoc beneficio omnino exigi, ut fiat Sacrum de *Requiem*; éstque hæc conditio necessariò observanda, quamvis forte mentio non sit facta in Brevi, ut declaravit Congreg. Rit. apud Barbosam, ℣. *Missa Defunctorum. Coll.* 478. Consentit Pasqual. cit. *n.* 4. dum inquit: Quando in concessione non exprimitur aliqua specialis Missa, sed tantùm dicitur, quòd celebrando pro aliquo defuncto ejus anima liberetur à pœnis Purgatorii, tunc celebranda est Missa de *Requiem*. Rationes videantur apud Authores, maximè Pasqual. citt. Cæterùm Responsio clarè etiam desumi videtur ex ipsa Bulla Clem. IX circa finem: *Et proinde, ut Missæ, quæ ibidem de Festo occurrenti, &c* item ex Decret. S. R. C. 3. *April.* 1686. Et certè his omnibus non obstantibus, utique securior pars eligenda foret in simili casu, ubi Celebranti Missam de *Requiem* dicenti incommodi nihil, plurimum autem utilitatis animæ purganti evenire potest.

X. Quæritur *Secundò:* Utrùm Petrus (qui Officium de duplici recitavit) in Ec-

clesia, ubi Officium de Semiduplici, vel Feria, &c. peragitur, celebrans in Altari privilegiato dicere debeat Missam de *Requiem*, ad hoc, ut privilegium Defunctis suffragetur; vel, an satisfaciat, si celebret Missam de duplici, de quo Officium recitavit? Ante Resp. supponitur, Petrum procul dubio posse in tali Ecclesia dicere Missam de *Requiem*. An autem in posito casu debeat celebrare Missam de *Requiem*, Resp. affirmativè. Ratio est: Quia Decreta *num.* 8. posita privilegium Altaris solummodò illis Missis de Festo, vel die currente celebratis concedunt, quibûs non possunt juxta Rubricas, & specialia Decreta celebrari Missæ de *Requiem*: Cùm verò in præfato casu, juxta suppositum hujus responsionis, Petrus dicere possit Missam de *Requiem*; eadem dicenda est, non autem illa de duplici. Ratio ulterior est: Quia Sacerdos ad alienam Ecclesiam pro celebratione accedens, ritui illius Ecclesiæ se conformare debet, ac si esset de illius gremio, ut quotidiana Praxis Romæ degentium ostendit; Sacerdos autem, qui esset de gremio Ecclesiæ, in qua Festum celebratur sub ritu Semiduplici, ad hoc, ut privilegium Animabus Defunctorum prosit, deberet in Altari privilegiato legere Missam

de

de *Requiem*, quandoquidem nullum esset impedimentum Festi duplicis, aut Octavæ privilegiatæ: ergo etiam alienus Sacerdos illa die, qua in eadem Ecclesia fit de semiduplici, ad hoc, ut privilegium defunctis prosit, in Altari privilegiato legere debet Missam de *Requiem*: nec ulla ratio haberi debet Officii duplicis ab eodem recitati juxta ritum propriæ Ecclesiæ; hoc enim est per accidens, & in Ecclesia illa, ubi Missam celebrat, se habere debet, ac si de Festo semiduplici Officium recitâsset. Idem habet Cajet. Merati *p.* 1. *tit.* 5. *Observat. n.* 8. idque conformiter Decreto S. R. C. 11. *Jun.* 1701.

XI. Quæritur *Tertiò*: Quid notandum quoad Missas triginta (quas vocant S. Gregorii, vulgò Gregorianas) dicendas? Resp. Tria notanda esse. *Primò*: Non est necesse, ut idem Sacerdos per mensem celebret diebus triginta; sed sufficit, si offeratur Hostia per mensem sive ab uno, sive à pluribus. *Secundò*: Sufficit offerri Sacrificium; non autem omnes Missæ dicendæ sunt ritu proprio pro Defunctis, qui in Dominicis, duplicibus, & aliis suprà in Prænot. *n.* 3. citt. occurrentibus prohibetur. *Tertiò*: Continuis diebus fieri debent, remota tamen

superstitione. Non autem discontinuantur ob Triduum Sacrum majoris Hebdomadæ, quo ex probato Ecclesiæ usu non debet celebrari. Gerlac. *part.* 1. *tit.* 5. §. 8. Gav. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 3. *litt.* D. Arnaud. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 10. Gobat, &c. Porrò, notandum etiam est, quod hujusmodi Missæ non necessariò in Altari privilegiato legendæ sint; dicit enim Pontifex absolute, *offerre pro eo Sacrificium stude.* Alia de hoc puncto Vid. *Tractat. de Defectib. Missæ, fol.* 593. *n.* 401. ubi specialiter notatur, Missas XXX. Gregorianas quoad Privilegium defunctis tantum prodesse posse.

§. II.

Quid in ipsis Missis privatis de Requiem observandum.

I.

CUm ea, quæ in Missis de *Requiem* omittenda sunt, habeantur tum in Missali Romano, *part.* 2. *tit.* 13. tum suprà, *tit.* 13. per tot. & cæteroquin (suppositis iis, quæ §. *præc.* dicta sunt) potissi-

tissima difficultas quoad Orationes in eis dicendas inveniatur, benignus Lector, quantùm ad *primum* Rubricas Missalis, &c. consulere non dedignabitur: de *secundò.* verò hoc §. agemus. Itaque, suppositô, quòd tota Missa de *Requiem*, quamvìs pro uno tantùm dicatur, in numero plurali pronuntianda sit, Orationibûs exceptîs (Rubr. Miss. in fine, Gerlac. *part.* 2. *tit.* 13. §. 4. & 6.) quæritur

II. *Primò*: Quot Orationes in Missis de *Requiem* dicendæ sint? Resp. In die Animarum, seu Commemorationis Omnium Defunctorum, & in die Depositionis, & in Anniversario Defuncti, dicitur una tantùm Oratio; & similiter in die tertio, septimo, trigesimo, & quandocunque pro Defunctis solemniter celebratur: in aliis Missis plures, &c. Rubr. Miss. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 3. Utrùm autem etiam in Missis quotidianis una tantùm Oratio dici queat, dubium esse potest; cùm tamen Rubrica cit. expressè dicat: *In aliis Missis plures, ut de Feriis & Simplicibus, &c,* negativa tanquam vera (nisi aliud obstet) rectè tenetur.

III. Quæritur *Secundò*: Quales Orationes in Missis de *Requiem* dicendæ sint? Resp. In die depositionis, tertio, septimo, trigesi-

secundô & tertiô locô ponuntur in Missa quotidiana Defunctorum. Lohner *part.* 4. *t.* 3. §. 2. *num.* 4. Poterit tamen secundô locô alia quoque Oratio dici, e. g. pro Parentibus. Quart. *part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 1. ℣. *Respondeo. num.* 7. 3. Quando plures dicuntur Orationes in Missis Defunctorum, ultimô semper locô recitanda est Oratio *Fidelium*, quæ est generalis pro Defunctis. Gerlac. *part.* 1. *tit.* 5. §. 11. Gav. *part.* 4. *tit.* 15. *num.* 19. Arnaud. Lohn. cit. Quart. dictum est autem, *in Missis Defunctorum*: nam, si in aliis Missis eadem Oratio, vel alia pro Defunctis per modum Collectæ, seu commemorationis dicatur, semper ponitur penultimô locô. Rubr. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 6. His suppositis, sequitur

V. Resp. In Missis quotidianis, dicitur pro Summo Pontifice Oratio, *Deus, qui inter Summos Sacerdotes, &c.* Pro Cardinalibus, Orationes assignatæ post *Missam quotidianam Defunct.* Pro Episcopo, *Da nobis Domine.* Pro Sacerdote, *Præsta quæsumus*, vel Orat. *Deus, qui inter Apostolicos, &c.* Episcopis, & Sacerdotibus propria, & conveniens. Ita colligitur ex Gavant. cit. *tit.* 18. *num.* 12.

VI. In Missis pro uno Defuncto Diacono, Subdiacono, Imperatore, & quocunque alio Sæculari, dicitur (nisi specialiter concessum quid aliud habeatur) Oratio, *Inclina Domine aurem tuam.* Pro una Defuncta quacunque, Oratio *Quæsumus Domine.* Oratio *pro Patre & Matre Sacerdotis*: item *pro Patre tantùm*, vel *Matre tantùm*, dicitur solummodò, quando Celebrans pro suis Parentibus sacrificat: unde in Titulo Orationis additum est ly, *Sacerdotis.* Gav. *p.* 4. *tit.* 18. *num.* 13. Arnaud. Gerlac. Item, si celebrat pro suis, & aliorum Parentibus; in quo tamen casu locò *animabus Patris*, & *Matris meæ*, dicit *animabus Parentum nostrorum.* Quòdsi autem quis Missam celebret pro defunctis Parentibus alterius cujusdam; si pro Patre tantùm, Oratio erit, *Inclina Domine.* Si pro Matre tantùm, *Quæsumus Domine.* Si pro utraque, Oratio erit *pro pluribus Defunctis.* Pro aliis Defunctis dicuntur Orationes, prout habentur in Missali. Tit. *Missæ pro Defunctis.* Cæterùm, Oratio, *pro defunctis Fratribus, Propinquis, & Benefactoribus*, dicitur etiam (omissis omittendis) si pro Defunctis Fratribus tantùm, vel Propinquis tantùm, &c. celebrandum sit. Si tamen pro uno defuncto, e. g. Fratre, Propinquo, &c. Missa celebretur, suf-

ficere

ficere rectè censetur (saltem ad multos errores evitandos) si dicatur Oratio, *Inclina Domine*, vel *Quæsumus Domine.* vel propria, juxta qualitatem Defuncti.

VII. Sed quid, si Sacerdos Parochus pro Parentibus suis, vel singulis eorum diem depositionis, septimum, trigesimum, vel Anniversarium celebrat: quod idem quæritur, si Sacerdos alius pro Patre suo, vel Matre sua in Ecclesia Parochiali, ubi pro illis dies depositionis, &c. agitur, cum aliis celebrat; qualis in simili casu Oratio dicenda? Resp. Dicendam esse Orationem, quæ habetur in Missa pro die depositionis, septimi, &c. vel Anniversarii; eò quòd hæc sit propria Missis hujusmodi: nec in Rubrica reperiatur exceptio, qualis habetur pro Pontifice, & aliis: & aliunde Orationes pro Defuncto Episcopo, *Da nobis Domine*, & reliquæ, videantur solummodò dicendæ in Missis quotidianis, ut patet in Orationibus, *Inclina Domine. Quæsumus Domine, &c.* ac insuper Gerlac. *p.* 2. *t.* 13. *§.* 11. absolutè dicat: *Pro Laicis certæ sunt regulæ in Missali: In eorum obitu, die tertio, septimo, & trigesimo secunda Missa, in Anniversario verò tertia,*

VIII. Quæ-

VIII. Quæritur ulteriùs, qualis Oratio dicenda sit, si celebrare oportet pro Anima miserrima, vel liberationi proxima, vel quæ Deo est gratissima, & hujusmodi? In hoc casu, dicunt aliqui, communem esse praxin, & antiquam consuetudinem, ut dicatur Missa quotidiana, uti habetur in Missali absque ulla variatione. Alii forsan opinantur, dicendam esse Orationem, *Fidelium Deus*, *&c.* absque alia, cum intentione sacrificandi pro Defunctis præfatis juxta petentium voluntatem. Sed neutra placet opinio. Non *prima*, etsi dicatur, esse praxin communem: quia non constat, quòd sit ea probata, vel etiam rite approbata consuetudo, ex eo etiam, quia ponitur primô locô Oratio, *Deus, qui inter Apostolicos*, quæ nedum fæminis, sed etiam maribus Laicis convenire nequit; utpote cùm sit propria Episcoporum & Sacerdotum, ut per se patet. Nec dicatur, mares Laicos, & fæminas adhuc sufficienter includi in generali Oratione, *Fidelium*, tertio loco dicendâ? Resp. enim, verum hoc esse quidem; at verò, cùm in Missis Defunctorum primô locô ponenda sit Oratio pro iis, pro quibus tunc celebratur (prout notatum est suprà, *num.* 4.) utique non rectè factum censetur, si primùm in ultima,

ma, & generali commemoratione de iis mentio fiat, pro quibus principaliter Sacrificium offerendum est.

IX. Nec *secunda* placet opinio: partim, quòd absque sufficienti ratione non servetur Rubrica, *In aliis Missis dicuntur Orationes plures, ut de Feriis, &c.* Rubr. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 3. partim, quòd non verificetur Oratio, *Fidelium*, dum ea nomine Ecclesiæ, secundùm propriam sui institutionem, recitatur quidem pro omnibus Fidelibus defunctis generatim, non tamen hîc à Sacerdote intenditur pro omnibus, sed pro una tantùm, e. g. pro Anima miserrima: partim, quòd non sit liberum Sacerdoti pro libitu suo applicare præfatam, vel aliam Orationem, si aliunde & Rubricæ, & obligationi propriæ, & petentium voluntati satisfieri queat. Hoc igitur ut fiat,

X. Resp. In propositis casibus recitandam esse Orationem pro uno defuncto, *Inclina Domine, aurem tuam, &c.* omissô ly *famuli tui*, ita ut dicatur, *ut animam, quam de hoc sæculo, &c.* quia sic (Rubrica aliud non determinante) sub ratione viri comprehenditur & Sacerdos, & saltem vi intentionis sufficienter exprimitur fœmina.

Nec

Nec erit inconveniens, dicere pro fœmina Orationem viris propriam; cùm in simili casu major utique ratio viri, quàm fœminæ, quæ de viro sumpta est, habenda sit. Et certè, si hoc inconveniens esse videtur, magis tale foret, pro viro, vel etiam pro Sacerdote dicere Orationem, *Quæsumus Domine, &c.* fœminis propriam. Dices: quid autem, si in præfata Oratione, *Inclina, &c.* dicatur sic, *famuli, famulæve tuæ, &c.* vel si dicatur, *annimam miserrimam, &c.* ℞. hanc quidem extitisse opinionem; quia verò refertur Decretum S. R. C. 23. *Octob.* 1719. prohibens, ne in Oratione pro defunctis aliquid addatur, parendum est.

XI. Ultimò quæritur, quænam Oratio dicenda sit, si pro Omnibus Fidelibus Defunctis Missa petatur? Resp. Pro hujus dubii resolutione duas existere opiniones. *Prima* sentit, dicendam esse Orationem, *Fidelium*, eámque solam cum Sequentia, *Dies iræ*: & hoc tum propter ea, quæ dicta sunt *num.* 4. tum, quòd omnes Defuncti abundè comprehendantur sub ea Oratione, utpote *Generali pro Fidelibus Defunctis*, Rubr. Missal. tum, quòd nulla videatur ratio assignanda, cur hæc solummodò Oratio, extra diem Animarum non valeat dici primô locô,

&

& consequenter (ex alia ratione) ea sola cum Sequentia. *Dies iræ*, in Missis quotidianis Defunctorum. Nec urget *primò*, quòd hoc modo non servetur Rubrica de dicendis pluribus Orationibus, ut in Feriis & Simplicibus; quia hoc fit per accidens, & nulla regula datur sine exceptione, juxta commune axioma. Nec *secundò*: quòd, si præfata Oratio, *Fidelium*, in Missis quotidianis primô locô recitari posset, ea utique non minùs posita esset inter Orationes diversas, ac Oratio, *Deus, veniæ largitor*, quæ aliàs secunda est in Missa quotidiana. Resp. quippe, id necessarium non fuisse; cùm de ea aliàs sufficienter provisum sit: habet enim competentem conclusionem expressam, qualem non habet Oratio, *Deus, veniæ largitor*, ut patet.

XII. *Secunda* opinio, probabilior saltem, & communi praxi conformior tenet, dicendas esse Orationes tres, prout habentur in Missa quotidiana. Desumitur id ab exemplo Ecclesiæ, quæ in Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 1. sequentia præscribit: *Prima die cujusque mensis, &c. dicitur Missa principalis generaliter pro Defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, & aliis:* non habetur, *dicitur Missa pro Sacerdotibus, & fit commemoratio*

pro

pro Benefactorib. Nec dicatur, taliter non observari regulam, ut Oratio 1. sit illa, quæ illis, pro quibus celebratur, conveniat; Resp. enim, hoc esse per accidens, nec exinde arguendam Ecclesiam; utpote, cùm ad ipsam pertineat, non tantùm legem condere, & conditam tollere, sed etiam modum, quo Animabus subveniri, & simul Rubrica à se sanctissimè præscripta observari pro possibili queat, præscribere. Cùm autem id in casu quæstionis, regulis communibus quoad omnia convenienter fieri non posse, agnoverit, modum præfatum specialiter assignavit, &, qualiter Missa pro omnibus Fidelibus Defunctis generatim dicenda sit, exemplô manifestavit. Quòd autem primô locô posuerit Orationem pro Episcopis, ratio esse potest; quòd ii veluti caput, & pars principalis sint corporis mystici ex Fidelibus constituti, & sic conveniat, ut primò de iis memoria fiat, &c.

XIII. Quid autem, si in simili casu Oratio 1. esset *Fidelium*, 2. Pro defuncto e. g. Parente Sacerdotis, vel alio specialiter quondam noto, 3. *Deus, veniæ largitor*? Non enim videtur absurdum, ut pro defuncto Patre, qui in Oratione *Fidelium*, jam inclu-

ditur,

ditur, fiat particularis & specialis commemoratio, sicut è converso absurdum non est, ut, si pro uno Defuncto Missa de *Requiem* celebretur, pro ipso sumatur Oratio 1. e. g. *Inclina*, & tamen in tertia, *Fidelium*, utpote generali iterum includatur. Resp. supposito, quòd Oratio *Fidelium*, semper ultimô locô dicenda sit (ut suprà notatum est) hoc non posse fieri, nec subsistere paritatem: sicut enim non potest fieri Oratio principalis, & commemoratio specialis de eodem Sancto in eadem Missa, sic neque Oratio principalis, & commemoratio specialis pro eodem Defuncto. Quòd autem, si pro uno Defuncto celebratur, & dicitur Oratio *Inclina*, idem Defunctus iterum in ultima Oratione *Fidelium*, comprehendatur, est merè per accidens, nec quidquam officit; cùm hæc Oratio non sit commemoratio specialis, sed generalis, non pro libitu, sed necessariò ultimô locô dicenda, si plures Orationes dicantur. Patet hoc à pari, cùm in Festo, e. g. Semiduplici juxta Rubricam dicenda est Oratio *A cunctis*, ad poscenda Suffragia SS. Oratio prima recitatur e. g. de SS. Cosma & Damiano: 2. *A cunctis*, in qua sub ratione generali iidem Sancti comprehenduntur: attamen pro 3.

ad libitum non potest fieri alia specialis commem. de S. Cosma, vel S. Damiano.

XIV. Denique notandum est, quòd, quando omissô Sacrô funebrî, pro Defuncto celebratur Missa de Festo, non opus sit, ut Collecta, seu Oratio pro Defunctis inseratur, etiam præsente corpore; imò nec licere quidem in Duplicibus, docent Gav. & Fraxinell. apud Gobat Alphab. Sacrif. *num.* 625. eò quòd Rubricæ non permittant iis diebus plures Orationes, nisi pro re gravi. Unde qui ordinariè id factitaret, censeretur inducere novum Ritum, quod tamen prohibet Clemens VIII. in Bulla Missali præfixa. Ex quo fundamento etiam reprobat idem Gobat *num.* 626. praxin illorum Religiosorum, qui in omnibus Duplicibus per annum Collectam pro Defunctis subjungunt Orationi de Festo, ut ex indulto Gregor. XIII. A pœnis Purgatorii liberent Animam. Dictum est autem, *in Duplicibus*; nam, quòd in Festis Semiduplicibus (idem intellige de Simplicibus, & Feriis per annum) fieri possit Commemoratio pro Defunctis secundô, seu penultimô locô ponenda, quando alioquin tertia Oratio ad libitum


bitum concessa est, absolutè tenet Lohner *part*. 4. *tit*. 3. §. 2. *num*. 4. eò quòd Rubrica tertiam Orationem *ad libitum* concedens non distinguat, & Commemorationem pro Defunctis non excludat. Nec obstat, quòd Rubrica *part*. 1. *tit*. 5. *num*. 2. dicat: *Quando per annum Officium est Semiduplex, non dicitur Missa Conventualis pro Defunctis, neque pro eis fit commem*. Resp. enim hanc esse dispositionem particularem pro Missa Conventuali, non autem pro omnibus Missis, ut ex ipsis Rubr. verbis patet. Neque Decretum S. R. C. 2. *Dec*. 1684. emanatum, & infrà, *hoc num*. annotatum obest: quia tantùm loquitur de Orationibus necessariò dicendis, non autem de tertia *ad libitum*: quando igitur in Missa de Semiduplici Oratio 2. est e. g. de Feria majori, de B. V. M. (in Adventu) vel (in Quadragesima) 3. *A cunctis*, gratis conceditur, non posse omitti Orationem v. g. *A cunctis*, ut ejus locò dicatur Orat. imperata ab Episcopo; vel secundô, seu penultimô locô Oratio pro Defunctis. Deinde notanda sunt verba Decreti, *una ex assignatis Orationibus in Missali, veluti A cunctis*, quo nomine non venit Oratio *ad libitum* dicenda; cùm aliàs hoc ipso non esset libera, sed necessaria. Porrò Præfata intelligenda etiam sunt, si

quis occurrente Simplici cum Semiduplici dicere vellet Orationem 2. pro Defunctis, 3 de Simplici, & omittere Orationem *A cunctis*, aliàs in simili casu tertiò locô dicendam; nam *non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missali, veluti* A cunctis, *ut ejus locò dicatur aliqua Oratio imperata ab Episcopo, veluti* Deus Refugium; *neque ut recitetur penultimò locô Oratio pro Defunctis.* S. R. C. 2. *Decemb.* 1684. Neque dicenda est Oratio pro Defunctis secundô locô, omissâ tertiâ *ad libitum*, siqua fortè jussu Episcopi, vel Superiorum apponi debet, e. g. pro Summo Pontifice, Benefactoribus, &c. sed addenda est tertiò locô, ita ut sit Oratio 1. de Semiduplici. 2. *A cunctis.* 3. pro Defunctis. 4. *ad libitum.* Hoc desumitur, saltem ob paritatem rationis, ex Decreto S. R. C. 17. *Aug.* 1709. ubi declaravit: quòd iis temporibus, quando tertia Oratio in Missis est ad libitum, ac ex jussu SS. Pontificis, vel Episcopi, in Missis debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia: videl. contra Turcas, pro serenitate, &c. Celebrans debeat recitare tertiam Orationem ad libitum suæ devotionis, & quarto loco illam, quæ est præscripta à SS. Pontifice, vel Episcopo. Cùm autem juxta Rubr. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 6. comme-

moratio

moratio pro Defunctis semper ponenda sit penultimo loco, ideò pro eo, ut ponatur quartô, sicut aliæ Orationes assignatæ, ea dicitur tertiô locô, & ultimô illa *ad libitum.* Etsi verò in hujusmodi casibus plerumque Oratio *Fidelium*, sumatur, poterit nihilominùs illius loco alia quoque Oratio, e.g. pro Sacerdote, Parentibus, &c. defunctis inseri. Lohner cit.

XV. Quamvìs autem in Missis Vivorum aliquando, juxta præcedentia dicta, sumi possit Commemoratio pro Defunctis, in Missis tamen Defunctorum nulla fit Commemoratio pro Vivis, etiamsi Oratio esset communis pro Vivis & Defunctis. Rubr. Missal. *part. 1. tit. 7. num. 6.* Quare in Missis Defunctorum nunquam est dicenda Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul, & mortuorum, &c.* quæ pro Vivis & Defunctis habetur *Fer. 4. Cinerum*, & in fine *Oration. divers.* ante Missas Defunctorum.



§. III.

De reliquis Missæ Defunctorum Partibus.

I.

SEquentia pro Defunctis, sive *Dies iræ*, *&c.* dicitur in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & depositionis Defuncti, & quandocunque in Missa dicitur una tantùm Oratio: in aliis autem Missis pro Defunctis, dicatur ad arbitrium Sacerdotis. Rubr. Missal. *p.* 1. *tit.* 5. *num.* 4.

II. In Missis Defunctorum quocunque tempore dicitur Præfatio communis. Rubr. cit. *tit.* 12. *num.* 4. Quod idem etiam de *Communicantes*, & *Hanc igitur*, intellige. Gerlac. *part.* 1. *tit.* 12. *§.* 5.

III. In fine nunquam aliud Evangelium legitur, quàm S. Joannis: *In principio erat Verbum*. Rubr. *part.* 2. *tit.* 12. *num.* 4. Quart. *part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 1. ℣. Respondeo. *num.* 21. dicitúrque Canticum *Benedicite*, & Psalm.

Lauda-

Laudate Dominum, *&c.* post Missam pro gratiarum actione cum *Gloria Patri*, ut aliàs. Quart. cit. *num.* 23.

Cæterùm, quia occasione dictorum dubitari potest, an non Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, saltem intuitu Altaris privilegiati, cum Octava celebrari valeat, notandum est Decretum S. R. C. quod sic habet: Nemini licet facere Octavas pro Defunctis sinè speciali indulto Sedis Apostolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Ecclesia. 13. *Aug.* 1667. apud Merati *p.* 1. *t.* 5. *n.* 2. *Observat. num.* 8. Ex hoc tamen non sequitur, quòd Missæ per octo dies pro uno, vel pluribus &c. Defunctis dici non possint; minimè: sed Decretum solummodo declarat, quòd pro Defunctis Octavæ fieri non possint eo, vel simili modo, quo Festa Octavam habentia celebrantur. Quòdsi igitur competatur, ut à die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum per octo dies pro uno, vel pluribus &c. Defunctis Missa celebretur, dicatur (extra diem Animarum, & nisi occurrat Festum duplex, dies Dominica, &c. in quibus Missæ privatæ *de Requiem* dici non possunt) Missa pro Defunctis Quotidiana, ut aliàs per annum,

sive in Altari privilegiato, sive in alio celebretur. Quod ipsum etiam quocunque alio tempore per annum observandum est.

Porrò, in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, potest quidem fieri Officium de Festo duplici minori, etiam translato, sed Missæ privatæ sunt celebrandæ *de Requiem*. S. R. C. *in una Urbis*, 5. *Octob*. 1686. Nec dicas, huic Decreto esse derogatum per aliud emanatum *die* 11. *Jul*. 1716. quod tale est: Quando die 3. Novembris occurrit Festum duplex minus ratione insignis Reliquiæ, & cadit in Feria II. in qua transfertur aliquando Comemoratio omnium Fidelium Defunctorum, tunc dictum Festum transferendum est ad primam diem non impeditam, non verò celebratur die tertia simul cum Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. ℞. non esse derogatum; tum, quia S.R.C. 5. *Maji*, 1736. prius Decretum in simili renovavit; tum quia ob peculiarem & specialem insignium Reliquiarum inspectionem censuit, transferendum esse tale Festum, ut de eodem possent celebrari omnes Missæ, in quibus dicitur etiam *Credo*, quod redolet specialem aliquam solemnitatem. Merati in *Indice Decretor*. *n*. 631.

631. Si autem petas, qualiter Missæ in die Animarum applicandæ sint? ℟. det S. R. C. dicens: In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Sacrificia possunt à Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantùm. 4. *Aug.* 1663.

TITULUS III.

De Orationibus in Missa dicendis, & aliis promiscuè.

AGit equidem Rubrica de Orationibus, & Commemorationibus in Missa dicendis *part.* 1. *tit.* 7. & 9. nec desunt Authores Gav. Gerlac. &c. qui hanc ipsam materiam studiosè pertractant, ita, ut superfluum nonnemini videri queat, eandem in præsenti Titulo tractandam reassumere. Cùm verò ex certis rationibus isthæc reassumptio, si non omnibus necessaria, saltem plurimis perquam utilis visa fuerit, ultimum huncce Titulum, *De Orationibus in Missa dicendis & aliis promiscuè*, in-

scribere placuit. Ne tamen utilitati præcognitæ, & intentæ non consulatur, tota materia in 2. §§. dividitur, quorum prior, *De Orationibus dicendis:* alter verò, *de aliis promiscuè*, tractabit.

§. I.

De Orationibus in Missa dicendis.

I.

SUpponitur 1. Missas alias dici Festivas, alias de Tempore; alias Votivas, & alias Defunctorum, sive de *Requiem*. De Missis tertii, & quarti generis actum est in præcedentibus. Quare hîc solùm agendum restat de Festivis, ac de Tempore; seu potiùs, de Orationibus in hisce Missis dicendis. Ut autem hoc bene fiat, præfixa materia in duas classes dismembratur, quarum *Prima* continet Orationes in Missis de Festo recitandas: *Secunda* verò eas, quæ in Missis de Tempore sumendæ sunt. Priùs tamen

II. Sup-

II. Supponitur 2. In omnibus Missis Festivis, Ferialibus, Votivis, &c. Orationem primam, seu principalem dicendam esse eam, quæ ipsi Missæ celebrandæ convenit; e. g. in Missa de Dominica, Oratio 1. de eadem: in Missa de B. V. Maria, Oratio 1. de ea; & sic de aliis; non obstante, quòd commemoratio sit de digniori, e. g. de SS. Trinitate, &c.

III. Supponitur 3. Quòd, cùm non rarò faciendæ sint in Missis commemorationes, eædem fieri debeant, sicut in Officio, ut notat Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 1. exceptîs iîs, quæ habentur in eadem Rubr. cit. Unde (nisi aliter ex speciali indulto constet) errant, qui in Missa de Dominica, Festo duplici, Feria privilegiata, & hujusmodi, in honorem cujusdam Sancti celebrata, dicunt Orationem 1. de Festo, vel die currente. 2. de Sancto, in cujus honorem dicitur Missa. 3. de Simplici occurrente. Vide etiam Gobat Alphab. Sacrifi. *num.* 627. Imò errant (hoc autem ex alio capite) qui in Missa e. g. Feria 4. Cinerum (in qua non possunt dici Missæ Votivæ, &c.) in honorem B. V. M. celebrata, dicunt Orationem 1. de Feria 4. Ciner. 2. de B. V. M. 3. *A cunctis*, vel etiam

de

de Spiritu S. omissa Oratione *pro Vivis & Defunctis*. Nec sufficit, hanc addere quartô locô; cùm Rubrica *part. 1. tit. 7. num. 5.* expresse præscribat, ut *Orationes secundo vel tertio loco dicendæ* (quales sunt præcitatæ, *A cunctis*. & *Omnipotens sempiterne Deus*, in Feria 4 Cinerum) *dicantur ante Orationes Votivas*; neque licet relinquere Orationes, vel etiam unam ex assignatis in Missali, veluti *A cunctis*, ut ejus locò dicatur aliqua Oratio imperata ab Episcopo, aut aliæ in earum locum sufficiantur. S. R. C. 2. *Decemb.* 1684. Arnaud. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 7. qui proin *tit.* 7. *num.* 6. rectè docet, Orationes, quæ notantur in Missa 2. & 3. loco dicendæ, cedere tantùm Orationibus Officii, puta Semiduplicis, diei infra octav. Simplicis, Feriæ majoris, &c. occurrentis: illæ autem, quæ assumuntur ad libitum Sacerdotis, vel pro devotione petentium, cedunt omnibus aliis. Idem Gerlac. *p.* 1. *tit.* 7 § 5. Gav. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 5. *litt.* K. dicens: Orationes Votivæ, quæ ad arbitrium Sacerdotis dicuntur, posteriorem occupant locum; & sicut Votiva v. g. de Spiritu sancto, cedit commemorationi Festi Simplicis, ita cedere debet Orationi, *A cunctis*, vel aliis, quæ secundo, vel tertio loco jubentur dici. Ita Gav. Gerlac. citt. His suppositis, sequitur Clas-

CLASSIS PRIMA.

Modus ſumendi Orationes in Feſtis Duplicibus, Semiduplicibus, &c.

IV.

PRo Miſſis de Feſto duplici Regula generalis hæc eſt, *In Feſtis duplicibus & in die Octava Feſti*, quod cum Octava celebratur, *dicitur una tantùm Oratio, niſi facienda ſit aliqua commemoratio.* Rubr. Miſſal. *part.* 1. *tit.* 9. *num* 1. & 10. Cùm verò Regula commemorationem ſumendi non ſit una communis, & conformis omnibus Duplicibus; utpote cùm ipſa quoque Duplicia diverſæ rationis ſint, videlicet: Duplex 1. vel 2. claſſis, &c. ideò de ſingulis ſeorſim agitur, & quidem primò:



In

In Duplicibus 1. classis.

V.

COmmemoratio fit de sequentibus, quando occurrunt; 1. De die Octava. 2. De Dominica: nisi sit *Vacans*, seu talis, de qua nec in Officio, nec in Missa aliquid fit, e. g. Si Festum Nativitatis Domini in diem Dominicam incidat. 3. Fit commemoratio de Octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Christi. Rubr. Brev. post Tabul. Occurrentiæ, *num.* 2. 3. & 5. 4. De Feria fit commemoratio in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, & Rogationibus. Rubr. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 2. 5. De Dominica anticipata in Sabbatis ante Dominicas Septuagesimæ, & ultimam post Pentecosten; utpote, quæ non habent rationem Vigiliæ, sed quasi Feriæ majoris, prout colligitur ex Rubr. Brev. *tit.* 4. *num.* 4. ubi præscribitur absque limitatione; *Quòd si tota Hebdom. impedita sit Festis 9. Lectionum etiam translatis, &c. tunc in Sabbato legatur 9. Lect. de Homilia Dominica, & de ea fiat commemoratio in Laudibus tantùm:* & consequenter

ter (juxta dicta *num.* 3.) etiam in Missis, nisi specialis exceptio habeatur, uti de Festo Simplici occurrente cum dupl. 2. classis in Missa solemni, de Dominica Palmarum, & Vigilia Pentecostes, notatur. Rubr. cit. *num.* 1.

VI. Nulla fit commemoratio: 1. De aliis diebus infra Octavas occurrentibus, e.g. In Festo SS. Petri & Pauli occurrente infra Octav. S. Joannis, nulla fit commem. de S. Joanne. Rubr. cit. Nisi tamen de speciali privilegio, vel Indulto constet. 2. Nec de Simplici occurrente. 3. Neque de Vigilia. Rubr. cit. *num.* 2. ac *tit.* 3. *num.* 2. exceptâ Vigiliâ Epiphaniæ, de qua etiam in Rubr. Brev. *tit.* 6. *num.* 2. commemoratio fieri jubetur. 4. Neque dicitur Oratio imperata à Superiore, veluti, *Deus refugium* sed omittenda est in Duplicibus primæ classis. S. R. C. 28. *Aug.* 1627. 5. Multò minùs dicuntur Orationes, quæ in Missis de Dominica, Semiduplici, infra Octavas, &c. secundô, & tertiô locô assignantur, veluti Oratio 2. *A cunctis.* 3. *ad libitum*: vel infra Octav. Oratio 2. *Concede* 3. *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*, *&c.* & hoc ultimum universaliter in omnibus Missis de Duplicibus quibuscunque celebrandis observandum est.

VII. Cæ-

VII. Cæterùm, ut prædicta, & sequentia dicenda quoad terminos, *occurentia*, *occurrente*, *occurrit*, *&c.* rite percipiantur, advertendum est, quod notat Gav. *Tom.* 2. *Sect.* 3. *cap.* 9. *num.* 1. dicens: Sicut *Concurrentia* est duorum pridie, & postridie, sive duorum Festorum, quorum unum celebrandum incidit heri, & alterum hodie, sic *Occurrentia* est duorum in eodem die, e. g. si Festum aliquod incidat in diem Dominicam, &c.

In Duplicibus 2. classis.

VIII.

COmmemorationes fiunt de omnibus iis, de quibus dictum est suprà, *n.* 5. Item, fit commemoratio de Octavis in Duplicibus 2. classis occurrentibus infra Octavam Nativitatis Domini, uti notatur in Breviar. & Missali; quia habent speciale privilegium, non commune aliis Festis 2. classis, ut notat Gav. *Sect.* 6. *cap.* 6. *num.* 1. 2. Fit commemoratio de Festo Simplici; sed in Missis privatis tantùm. Rubr. cit. *num.* 1. 3. De Vigilia occurrente; item de eadem, si propter Festum, e. g.

S. Ja-

dicendis, & aliis promiscuè. §. 1. N. 9. 321 S. Jacobi, Feriâ 2. occurrens, Vigilia in Sabbato præcedente anticipanda sit.

IX. Attamen non fit commemoratio de aliis Octavis, id est, de diebus infra Octavas, nisi, vel ex Rubricâ, vel privilegio specialiter excipiantur. Sic apud Fratres Minores in Festo S. Bernardini, dupl. 2. class. non fit commem. Octavæ, seu diei infra Octavam S. Paschalis occurrentis. 2. Oratio à Superioribus imperata, veluti *Deus refugium*, Romæ in Festis duplicibus 2. classis omittitur, ut notat Pitton. *n.* 161. Si tamen alibi consuetudo vigeat, poterit eadem etiam in Duplicibus 2. classis dici, dummodo in Missa solemni, in qua neque de Simplici occurrente commemoratio conceditur, omittatur. Arnaud. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 9.

In Duplicibus Majoribus, & Minoribus.

X.

Fiunt commemorationes de omnibus, numeris præcedentibus, annotatis, in quibus nimirum juxta Rubric. oc-

X curren-

currentia accidere potest. Porrò in faciendis commemorationibus servandus est ordo, ut in Breviario. Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 5. Quare *Primò*, fit commemoratio de Dominica, in qua occurrit Duplex, vel Dies Octava: si tamen occurrunt duæ dies Octavæ, Oratio 2. dicitur de Octava minùs digna, & 3. de Dominica. Idem hoc intellige, si in Dominica occurrat e.g. Festum Conversionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, &c. *Secundò*, post commemorat. Dominicæ dicitur commemoratio de die infra Octavam occurente: & si plures octavæ occurrant, recitantur eodem ordine, quo in Officio Divino. *Tertiò*, de Feriis majoribus Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliæ. *Quartò*, de Simplici Festo occurrente. *Ultimò*, additur Oratio imperata à SS. Pontifice, vel Episcopo, e. g. *Deus refugium*.

XI. Omittuntur autem in Duplicibus Orationes, quæ aliàs in Dominicis, Semiduplicibus, infra Octavas, Simplicibus, &c. 2. & 3. loco præscribuntur. Unde in Duplicibus post Orationem Festi dicitur tantùm commemoratio Octavæ, Feriæ majoris, Simplicis, &c. de quibus etiam in Officio facta est.

XII. Sed

XII. Sed quid, si ex speciali privilegio, vel alia rationabili causa necessariò dicenda sit in Duplicibus, vel die Octava Sancti Missa Votiva privata, in qua Oratio 2. est de Duplici, vel die Octava; quænam Oratio erit 3. locô dicenda? Resp. Suppositô, quòd de speciali dispositione non constet, ad supplendum numerum imparem, seu ternarium, in Missis Votivis à Rubrica *tit. 9. num.* 14. præscriptum, dicendam esse aliquam Orationem ad libitum Sacerdotis eligendam, vel à Superioribus præscriptam, veluti *Deus refugium*; non autem eam, quæ aliàs in Semiduplicibus, diebus infra octavam, Simplicibus, &c. secundùm temporis exigentiam, e.g. *A cunctis*, vel *Concede*, *&c.* recitanda est. Ratio est; quia non bene (subintellige, obligatoriè) in Missa dicitur ad poscenda Suffragia SS. Oratio *A cunctis*, ubi nulla est recitata in Officio Divino. Nec dicas: Festum duplex in simili casu induere rationem Semiduplicis: Resp. quippe, negando; non enim augeri, vel minui potest Ritus Festi celebrandi, nisi authoritate Ecclesiæ, quæ non præsumitur, propter casum particularem toleratum, velle privare Sanctum ritu semel concesso, nisi expresse de hoc aliter constet. Neque dicenda est necessariò Ora-

tio, *Concede*, vel alia hujusmodi: cùm non sit fingenda obligatio, ubi de mente legislatoris obligante non constat.

XIII. Quæritur autem, an in simili casu etiam possit dici Oratio 2. pro Defunctis; 3. de Duplici occurrente? Resp. negativè: nam in Missis Votivis *post primam Orationem semper dicenda est Oratio ejus, de quo fit Officium*, Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 7. *n.* 3. nisi specialis ratio, vel etiam concessio aliud persuadeat, ut suprà *tit.* 1. §. 1. *num.* 15. dictum est.

In Festis Semiduplicibus.

XIV.

IN Festis Semiduplicibus dicuntur regulariter tres tantùm Orationes, prout liquet ex Rubric. Missal. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 12. docente: *In Festis Simplicibus, & Feriis per annum, &c. dicuntur tres Orationes, ut in Semiduplicibus.* Idem docet Quart. *p.* 1. *tit.* 9. *num.* 12. ℣. *Dubitari potest.* & habetur passim in ipso Missali. Dicitur autem *regulariter*; per quod non negatur, dari casus, qui in Missis de Semiduplici celebrandis

dis

dis duas, vel quatuor admittunt Orationes. Sic in Festis Semiduplicibus à Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum occurrentibus, dicuntur duæ tantùm Orationes. Hoc autem solummodo in illis Ecclesiis, in quibus duæ cantantur Missæ Conventuales, nempe de Festo, & de Feria; in quo casu in Missa de Semiduplici Oratio 2. erit *Ecclesia*, vel *pro Papa*, nec additur tertia Oratio. Gavant. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 5. Gerlac. §. 7. Quart. *part.* 1. *tit.* 9. *dub.* 3. Ubi verò dicitur una tantùm Missa Convent. de Festo, servanda est Rubrica *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 5. dicens: *In Semiduplicibus à Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum Oratio* 2. *erit* de Feria; 3. Ecclesiæ, *vel* pro Papa. Quod etiam in Missis privatis de Festo illo tempore celebrandis observandum. Gerlac. cit. & patet ex ipsis Rubricæ verbis absolutè loquentibus.

XV. Possunt etiam in Missis, de Festo Semiduplici celebrandis, dici quatuor Orationes ob commemorationes necessariò dicendas, e. g. de diebus infra Octavas, Feriis majoribus, vel Simplicib. &c. occurrentibus; vel si addenda sit Oratio aliqua à Summo Pontifice, Episcopo, vel alio Superiore legitimo imperata. Arnaud. *part.* 1.

tit. 9. *num.* 9. Gerlac. Unde observandum etiam est Decretum S. R. C. editum pro resolutione dubii sequentis, scilicet: Dubitatur, an iis temporibus, quando tertia Oratio in Missis est ad libitum (quod tunc solummodo contingit, quando in Missa de die Oratio 2. assignatur *A cunctis*; exceptâ Quadragesimâ, in qua usque ad Dominicam Passionis Oratio 3. fieri jubetur pro Vivis & Defunctis, *Omnipotens sempiterne Deus*, *&c.* ut patet ex Rubr. *Fer.* 4. *Ciner.*) ac ex jussu SS. Pontificis, vel Episcopi in Missis debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia: videlicet, contra Turcas, pro serenitate, &c. hæc Oratio præscripta necessariò ponenda sit tertio loco in Missis, & prætermittenda, quæ *ad libitum*; seu potiùs Celebrans possit recitare tertiam Orationem ad libitum suæ devotionis, & quarto loco, quæ est præscripta à SS. Pontifice, vel ab Episcopo? Sacr. Rit. Congregatio respondit *ad primam partem negativè; ad secundam affirmativè per modum præcepti, & obligationis.* Ita declaravit *die* 17. *Aug.* 1709. Quænam autem Orationes dicendæ sint in Missis de Festo Semiduplici celebrandis, sequentia juxta cursum, & ordinem annuum instructa dabunt. Sequitur ergo

XVI. Pri-

XVI. Primò: *Infra hebdomadas Adventûs, quando dicitur Missa de Festo Semiduplici, secunda Oratio erit de Adventu* (quæ desumitur ex Dominica præcedente, nisi propria Missa de Feria assignata sit, ut in Feriis Quatuor Temp.) *tertia de S. Maria*, Deus, qui de B. Mariæ. Rubr. Missal. *Dom.* 1. *Advent.* Quòd si occurrat etiam Simplex cum Semiduplici, Oratio 3. dicitur de eo: nec additur 4. de B. M. V. Si occurrat cum Semiduplici dies infra octav. e. g. in Festo S. Bibianæ commem. Octavæ S. Andreæ in Ecclesia Titulari; Oratio 2. erit. de Oct. 3. de Feria. Quòdsi simul occurrat etiam Simplex, Oratio 2. erit de Oct. 3. de Feria. 4. de Simplici: nec additur (necessariò saltem) Oratio 5. propter dicta *num. præc.* Si Semiduplex celebretur in Adventu eo die, quo occurrit Simplex & Vigilia, e. g. in Vigilia S. Andreæ, 29. *Novembr.* Oratio 2. dic. de Feria. 3. de Vigil. (Gav. *part.* 1. *tit.* 3. *num.* 4.) 4. de Simplici.

XVII. *Ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem* (id est, usque ad 2. *Februarii*) *dicitur* 2. *Oratio*, Deus, qui salutis. 3. Ecclesiæ, *vel* pro Papa. Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 3. Quòdsi occurrat dies infra Octavam, *Oratio* 2. *dicitur de Octava*; 3. *quæ*

secundo loco infra Octavam ponitur. Regul. General. Rubr. cit. *num.* 7. quæ etiam in seqq. applicanda est. Quales autem Orationes infra Octavas 2. & 3. loco dicendæ sint, vide infrà *num.* 28. *& seq.* Quòd si cum die infra Octavam occurrat etiam Simplex, Oratio 3. dicitur de eo, nec alia superadditur. Si verò cum Semiduplici occurrat solummodo Dominica anticipata, vel Simplex, Oratio 2. dic. de eo. 3. *Deus, qui salutis.* absque alia: nisi fortè quædam imperata quarto loco recitanda sit, ut dictum est suprà, *num.* 15. Ex quo etiam colligitur, quòd in Missis de Semiduplici, quando plures Orationes, quàm tres, dici debent, non sit necessariò numerus impar complendus. Porrò, quando cum Semiduplici occurrant simul Dominica anticipata, & Simplex, Oratio 2. & 3. dic. de iis, nec additur quarta. Dictum est autem, *id est, usque ad* 2. *Februarii*; si enim Festum Purificationis non celebratur die 2. Februarii, sed transfertur, tunc Oratio 2. erit *A cunctis*, 3. *ad libitum.* S. R. C. 14. *Febr.* 1705.

XVIIII. *In Semiduplicibus occurrentibus à Purificatione (juxta dicta num. prac.) usque ad Quadragesimam, dicitur* 2. *Oratio*, A cunctis.

3. ad

3. ad libitum. Rubr. cit. *num.* 2. Si pro tertia *ad libitum*, sumitur Oratio *Fidelium*, vel alia pro Defunctis, ponitur ea 2. loco, 3. *A cunctis*. Si verò occurrat cum Semiduplici etiam Dominica anticipata, vel Simplex, Oratio 2. dicitur de eo, 3. *A cunctis*. Idem intellige, si ante Quadragesimam in Vigilia S. Matthiæ occurrat Festum Semiduplex, etiam translatum: dicitur enim Oratio 2. de Vigilia. 3. *A cunctis*. Desumitur id ex Gav. *part.* 4. *tit.* 15. *num.* 17. ubi inquit: *In Missa de Feria Quatuor Temporum fit commem. de Vigil. & tertia Oratio erit, A cunctis*: & suadet ipsa ratio, quòd, nisi aliter exprimatur, major ratio Festi Semiduplicis, quàm Vigiliæ sit habenda. Ubi autem in hoc casu duæ Missæ Convent. dicuntur, in Missa de Festo Oratio 2. erit *A cunctis*. 3. *ad libitum*.

XIX. *In Festis Semiduplicibus à Feria* 4. *Cinerum usque ad Dominicam Passionis*, 2. *Oratio de Feria*. 3. *A cunctis*. Rubr. cit. *num.* 4. nec additur quarta. Quòd si occurrat Simplex, vel Vigilia, Oratio 3. dic. de iis, absque alia. Ubi verò in Quadragesima duæ dicuntur Missæ Conventuales, *una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam* (Rubr. *part.* 1. *tit.* 3. *num.* 1.) in Missa de Semidu-

plici secunda Oratio, & tertia erunt eædem, quæ in Missa de Feria. Gav. cit. *num.* 4. & 17. nisi occurrat etiam Simplex; quia tunc in Missa de Semidupl. Oratio 2. erit de eo. 3. *A cunctis:* absque alia. Gerlac. *p.* 1. *tit.* 7. §. 3. Gav. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 2. *litt. H.* Arnaud. *num.* 4.

XX. *In Semiduplicibus à Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, secunda Oratio de Feria, tertia Ecclesiæ, vel pro Papa.* Rubric. cit. *n.* 5. Si occurrat Simplex Oratio 3. dic. de eo. Ubi verò hoc tempore duæ dicuntur Missæ Convent. una de Semiduplici, & altera de Feria, in Missa de Festo dic. duæ tantùm Orationes, nempe 2. *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*: sicut etiam in Missis de Feriis. Gav. cit. *num.* 6. Gerlac. *tit.* 9. §. 7. Arnaud. *num.* 4.

XXI. *In Festis Semiduplicibus ab Octava Paschæ usque ad Ascensionem, secunda Oratio erit de S. Maria, Concede nos.* 3. *Ecclesiæ, vel pro Papa.* Rubr. cit. *num.* 6. Quòd si occurrat Simplex, Oratio 2. dic. de eo. 3. *Concede.* Si cum Simplici occurrat etiam dies infra Octavam, Oratio 2. dic. de ea. 3. de Simplici. Si cum Simplici in Festo Semidupl. occurrant duæ Octavæ, id est, duo dies

infra

infra Octav. Oratio 2. & 3. erunt de istis, 4. de Simplici, nec additur 5. nisi addenda sit aliqua jussu SS. Pontificis, &c. Si occurrat *Feria* 2. *Rogat* Oratio 2. dic. de ea. 3. *Concede.* Si simul etiam occurrat Simplex, Orat. 3. erit de eo, absque alia. Ubi tamen dicuntur duæ Missæ Conventuales (seu Principales) una de Festo, altera de Feria 2. Rogat. in utraque Missa Oratio 2. dic. *Concede.* 3. *Ecclesia.* vel *pro Papa.* Cæterum, Benigne Lector! mihi ne vitio vertas, quòd non exactiùs pertractem modum dicendi Orationes in Ecclesiis, in quibus certis diebus vel ex obligatione, vel aliunde dicuntur 2. vel 3. Missæ principales, seu Conventuales: etenim propositi mei non erat actum agere, sive, ea repetere, quæ in ejusmodi Ecclesiis ex antiqua praxi aliàs notissima supponuntur. Infirmorum itaque, & incipientium utilitati, ac necessitati, quoad Missas privatas potissimùm, consulere intendi. Quare sequitur ulteriùs:

XXII. *Si Feria* 3. *Rogation.* occurrat Semiduplex, Orat. 2. dic. de Fer. 2. Rogat. 3. *Concede.* Si occurrat etiam Simplex, Orat. 2. erit de eo. 3. de Fer. 2. Rogat. Si cum Semiduplici, & Simplici occurrat etiam dies infra Octavam, Oratio 2. erit de ea.

3. de

3. de Simplici. 4. de Feria 2. Rogat. *Feria 4. Rogation.* si celebretur Semiduplex, Oratio 2. erit de Vigilia Ascens. Domini. 3. de Per. 2. Rogat. Si occurrat etiam Simplex, Oratio 3. erit de eo. 4. de Rogationibus. Quòd si etiam occurrat dies infra Octavam, Oratio 2. erit de ea. 3. de Vigilia. 4. de Simplici. 5. de Feria 2. Rogat. Si verò cum Festo Semiduplici occurrat tantùm dies infra Octavam, Orat. 2. dic. de ea. 3. de Vigilia. 4. de Feria 2. Rogation. absque alia. *Feria 6.* post Octavam Ascens. Domini, si celebretur Semiduplex, Oratio 2. erit de Dominica infra Octavam Ascens. 3. *Concede.* Si occurrat etiam Simplex, Oratio 3. dicitur de eo, absque alia. Si verò cum his occurrat etiam dies infra Octavam, Oratio 2. dicitur de ea. 3. de Dom. infra Octav. Ascens. 4. de Simplici, nec additur quinta.

XXIIII. *In Festis Semiduplicibus occurrentibus ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, dicitur secunda Oratio, A cunctis. tertia, ad libitum.* Rubr. cit. *num.* 2. Vide dicta suprà, *num.* 18. quibus adde: Si in Festo Semiduplici occurrat cum Vigilia etiam Simplex, uti 24. *Julii*, Oratio 2. dic. de Vigil. 3. de Simplici: nec additur 4. Quòd si occurrant

Quat.

Quat. Temp. Oratio 2. dic. de iis. 3. *A cunctis.* Quid autem occurrente die infra Octav. faciendum, vide infrà, *num.* 28.

XXIV. Particulare pro Fratribus Minorib. Quando faciunt Officia quolibet mense, vel hebdomada concessa (puta de Corpore Christi, de SS. Bonaventura, Antonio de Pad. & S. Clara) in Missis Orationes 2. & 3. loco sumuntur eodem modo, & ordine, quo in Semiduplicibus tunc temporis occurrentibus juxta Rubricam, & hactenùs dicta, recitari debent: e. g. à Pentecoste usque ad Adventum Oratio 2. *A cunctis* 3. *ad libitum*: nisi occurrat Simplex; quia tunc Oratio 2. dic. de eodem, 3. *A cunctis*: & sic de aliis. Vide Rubric. partic. Missal. Frat. Min. Tit. *Notanda quædam.* num. 3. Si verò faciunt de Immaculata Conceptione, Oratio 2. erit semper de Spiritu S. 3. *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*; nisi dicenda sit commem. de Simplici: quia huic cedit Oratio de Spiritu S. quæ tertiô locô dicitur, omissâ Oratione Ecclesiæ. &c. At verò, si recitant Officium de Stigmatibus S. P. Francisci per annum, in Missa Oratio 2. dicitur de S. Dominico (quæ in hoc casu tam in Missa, quàm in Officio semper addenda est, ex Rubr. partic. Breviar. *num.* 18.

num. 18. & Decret. S. R. C. 27. *Sept.* 1698.) 3. erit ea, quæ aliàs secundô locô dici deberet, e. g. *A cunctis.* Si tamen occurrit Simplex, Oratio 2. dicitur de eo(Decret. cit.) 3. de S. Dominico, ut in Festo. 4. *Aug.* nec additur alia.

XXV. *In Festis Semiduplicibus infra Octavas occurrentibus, secunda Oratio dicitur de Octava; tertia, quæ secundo loco infra Octavam ponitur.* Rubr. cit. *num.* 7. Pro Rubricæ hujus observantia, potissimùm attendi oportet, quænam Oratio in Missa de Octava occurrente, secundô locô ponitur. Hoc autem cognoscetur ex infrà dicendis.

Diebus infra Octavas occurrentibus.

XXVI.

AD evitandam omnem dubitationem, sciendum est, quòd sub terminis, *De Octava: De die, vel diebus infra Octavam: De infra Octavam* (qui idem significant) non intelligantur Festa infra Octavas occurrentia, vel etiam (juxta Rubric.) translata, sed ipsi dies intermedii

dii incidentes intra octo dies continuos alicujus Festi, cui Solemnitas Octavæ concessa est: e. g. Dedicatio Ecclesiæ celebratur die Dominica, & ejus dies Octava Dominica sequente; in hoc casu dies intermedii à Feria 2. inclusivè, usque ad Sabbatum sequens inclusivè, dicuntur *de Octava*, *de infra Octavam*, *&c.* absque respectu ad Festa hisce diebus occurrentia. Et de his solummodò quæsitum est suprà, *n.* 6. *&* 9. quatenùs sunt commemorationes in Missis Festorum occurrentium. Hîc autem quæritur, quot, & quales Orationes dicendæ sint in Missis, quæ de diebus infra Octavas celebrari occurrunt? Supponitur autem ante Resp. Missas infra Octavas ordinariè sumendas esse ex ipsis Festis, quorum sunt Octavæ; e. g. infra Octavam Corporis Christi dicitur eadem Missa, quæ in Festo; & sic de cæteris, paucîs quibusdam exceptîs, quæ infra Octav. Missâ propriâ gaudent, uti Octavæ Paschæ, Pentecostes, SS. Petri & Pauli Apostolorum, &c. Hoc supposito,

XXVII. Resp. I. *Infra Octavas Paschæ, & Pentecostes, in Missa de Octava dicuntur duæ tantùm Orationes: una de die, alia* Ecclesiæ, *vel* pro Papa. Rubr. cit. *num.* 8. Excipe ab

hac

hac Regula Ferias 2. & 3. dictarum Octavarum, quæ, cùm sint *duplic.* 1. *classis*, unam tantùm admittunt Orationem, ut etiam ex ipso Missali liquet. Quòd si infra hujusmodi Octavas (puta Feria 4. 5. 6. & Sabb.) occurrat Simplex, Oratio 2. dicitur de eo: nec additur tertia. Gav. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 8. Arnaud. Idem intellige, si illis diebûs infra Octavas præfatas; in quibus Oratio 2. *Ecclesiæ*, præscribitur, occurrat Festum Solemne, quod celebratur cum concursu populi, e. g. apud Fratres Minores Festum S. Antonii Paduani; dicitur enim (ad libitum tamen) commemoratio de tali Festo translato (quæ regulariter secundô locô ponitur, ut notat Gerlac. *p.* 1. *tit.* 6. §. 4.) nec dicitur alia, *Ecclesiæ*, vel *pro Papa.* Si tamen ejusmodi commemoratio non fiat (imò, eam ejusmodi diebûs etiam non exceptîs fieri non posse, docet Quart. *part.* 1. *tit.* 6. *dub.* 2. ℣. *Dico secundò.*) dicuntur Orationes, ut ibi notantur.

XXVIII. Resp. 2. *Infra alias Octavas dicuntur tres Orationes, una de die, secunda de S. Maria*, Concede nos famulos, *tertia* Ecclesiæ, *vel* pro Papa. Rubr. cit. *num.* 9. Hæc est Regula universalis pro omnibus Octavis, exceptîs iîs, quæ *num. præc.* & *seq.* haben-

habentur. Porrò, ex hac Regula notanda sunt sequentia: 1. Infra Octavas nunquam dicitur Oratio 2. *A cunctis.* 3. *ad libitum.* 2. Infra omnes Octavas sive universalis Ecclesiæ, sive Diœcesûm, vel Religionum, aut locorum particularium, e. g. SS. Trinitatis, Spiritûs Sancti, Corporis Christi, Apostolorum, Martyrum, & omnium aliorum, nunquam possunt omitti præfatæ duæ Orationes *Concede, &c.* nec illarum locò (nisi de expressa concessione, vel privilegio particulari aliter constet) alia dici; e. g. non potest locò 3. Orationis *Ecclesiæ*, dici aliqua Oratio, veluti *Deus refugium*, aut alia imperata à SS. Pontifice; sed si hæc dicatur, addenda est quarto loco. Vide dicta suprà, *num.* 3. 3. In Missis de Festo Semiduplici occurrente, infra Octavas celebratis, tertiô locô semper dici debet Oratio *Concede:* nisi alia dies infra Octavam, aut Simplex, &c. occurrat; quia in simili casu omittitur Oratio *Concede*, & ejus locò dicitur Oratio de Octava minùs digna, vel Simplici, aut etiam Feria majori, vel Vigilia, prout nempe ratio occurrentiæ postulaverit.

Cæterùm, si in Missa de die infra Octavam celebranda occurrat alia dies infra Octav. Simplex, aut Feria major, &c. O-

ratio 2. dic. de iis. 3. *Concede.* Si cum alia Octava minùs digna occurrat simul Feria major, Vigilia, Simplex, &c. Oratio 2. dic. de Octava. 3. de Feria majore, Vigilia, vel Simplici. Item, si infra Octavam occurrat Feria major cum Vigilia vel Simplici, Oratio 2. dic. de Feria majore. 3. de Vigilia, vel Simplici, nec additur alia. Et hæc de omnibus Octavis, exceptîs iîs, quæ *num. prac.* & *seq.* annotantur, aut aliàs ex speciali privilegio, vel dispositione excipiuntur, intelligenda sunt. Quare de exceptuatis loquendo,

XXIX. Resp. 3. *Infra Octavam Epiphaniæ post Orationem diei dicuntur Orationes*; Deus, qui salutis æternæ, *&* Ecclesiæ, *vel* pro Papa. Si verò occurrat Simplex, Oratio 2. dicitur de eo. 3. *Deus, qui salutis.* Rubr. Missal. *post Miss. Epiph.* Sed, *Infra Octavas S. Mariæ, & infra Octavam omnium Sanctorum, secunda Oratio dicitur de Spiritu sancto*, Deus, qui corda Fidelium. 3. Ecclesiæ, *vel* pro Papa. Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 9. Pro praxi harum Rubricarum colligitur: 1. Quòd in Missis de Octavis Epiphaniæ, B. V. Mariæ, & omnium Sanctorum, nunquam dicatur Oratio 2. *A cunctis.* 3. *ad libitum*: neque Oratio 2. *Concede.* 2. In Missis de

de Festo Semiduplici occurrente infra Octav. B. V. Mariæ, & omnium Sanctorum (si non sit facienda alia commemoratio, e. g. de Simplici) Oratio 3. nunquam dicitur, *Concede*, sed *de Spiritu sancto*: nec potest hujus locò inseri alia Oratio, ut *Deus, refugium*. Vide suprà *num.* 3. Quòd si in Missa de Octava B. V. M. vel omnium Sanctorum commemorationes sint faciendæ, serventur ea, quæ *num. præc.* ℣. *Cæterùm.* dicta sunt.

XXX. Quæritur autem, quid faciendum sit, si in occurrentia 2. Octavarum, Dedicationis Ecclesiæ, & Nativitatis B. V. M. facienda sit Missa de Octava Dedicationis cum commem. Nativitatis B. Virginis: quænam Oratio erit tertia? Ante Resp. supponitur ex Gav. *Sect.* 3. *cap.* 8. *num.* 6. *& seq.* quòd, quamvìs dignior sit Octava Assumptionis B. V. M. quàm Octava Dedicationis Ecclesiæ, & consequenter Missa in occursu, de Assumptione cum commemoratione Dedicationis celebranda sit; attamen dignior sit Octava Dedicationis, quàm Nativitatis B. V. Mariæ (utpote, cùm Octava primæ classis dignior sit Octavâ secundæ classis) & consequenter Missa de Dedicatione celebranda. Hoc suppo-

posito, Resp. Orationem 3. dicendam esse *de Spiritu sancto.* Desumitur id præter aliam rationem, à pari ex Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 15. ubi additur: *In Missis Votivis B. Mariæ secunda Oratio dicitur de Officio illius diei: & tertia de Spiritu sancto:* non obstante, quòd Missa diei aliam Orationem, 2. & 3. loco dicendam, habeat assignatam.

In Festis Simplicibus, & B. V. Mariæ in Sabbato.

XXXI.

SErvato ordine post Missas de Semiduplici, & diebûs infra Octavas, sequuntur Missæ de Simplicibus. Dicuntur autem hujusmodi Missæ illîs diebûs, quibus etiam Officium de Simplici recitatur: nisi ex speciali Rubrica aliter sit faciendum. Porrò per hoc non negatur, quòd Missæ de Festis Simplicibus celebratæ, aliîs quoque diebûs non prohibitîs ut Votivæ dici valeant: dummodo Ritus, & alia Votivis convenientia, observentur.

XXXII. Extant de Simplicibus in Missali Romano duæ potissimùm Regulæ. Pri-

Prima: *De Simplici dicitur Missa, sicut de Semiduplici, ut suis locis ponitur.* Rubr. *part.* 1. *tit.* 2. *num. un.* Secunda: *In Festis Simplicibus, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur Orationes tres, ut in Semiduplicibus, aut quinque: possunt etiam dici septem ad libitum.* Rubr. cit. *tit.* 9. *num.* 12. Ex prima Regula colligitur, quòd Missa de Simplici (cæterîs paribûs) tractanda sit, ut Missa de Festo Semiduplici tunc temporis occurrente. Nos, omissîs aliîs, solùm hîc agimus de Orationibus dicendis. Post Orationem Festi igitur dicuntur Orationes, quæ juxta qualitatem temporis in Missis de Dominica & Semiduplici, 2. & 3. loco præscribuntur dicendæ. Sic à Festo Purificationis B. V. M. id est, à 2. Februarii (juxta dicta *num.* 17.) usque ad Feriam 4. Cinerum: Item ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, Oratio 2. dicitur, *A cunctis*, 3. *ad libitum.* Tempore Paschali: Oratio 2. *Concede.* 3. *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*, *&c.* Quòd si occurrat aliud Simplex, de quo fieri debet commem. Oratio 2. erit de eo. 3. quæ alias 2. loco dicenda foret. Cæterùm, quæ suprà, *num.* 3. & 18, notantur, hîc etiam proportionaliter applicanda sunt.

XXXIII. De Missis B. V. Mariæ in Sabbato, quando de ea Officium recitatum fuit, pauca veniunt notanda, videlicet: *Secunda Oratio erit* de Spiritu sancto, *tertia* Ecclesiæ, *vel* pro Papa. Rubr. cit. *num.* 15. Si occurrat commem de Festo Simplici, Oratio 2. erit de eo. 3. de Spiritu sancto: nec additur quarta. Quòd si ille, qui in Sabbato recitat Officium de B. Maria, celebret Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere, *Gloria*, neque Præfationem Beatæ Mariæ S. R. C. 2. *Dec.* 1684 Quid autem in Missis Votivis faciendum sit, si in Sabbatis per annum fit de Immaculata Conceptione B. V. M. vide suprà, *Tit.* 1. §. 5. *num.* 9.

CLASSIS SECUNDA.

Modus sumendi Orationes in Dominicis, Feriis Majoribus, ac Minoribus per Annum.

HAbent equidem Orationes in Dominicis, Feriis, &c. magnam conformitatem cum iis, de quibus a-

ctum

ctum in præcedentibus. Cùm tamen in nonnullis discrepent, in hac Classi singulariter de iis agitur.

In Dominicis.

XXXIV.

IN *Dominicis* (hoc est, in Missis de Dominica celebratis) *dicuntur tres Orationes, ut in Ordinario assignantur, quibusdam exceptis, ut suis etiam locis notatur.* Rubr. cit. *num.* 11. Quænam autem Orationes 2. & 3. loco dicendæ sint, sollicitè in Missali Romano quibuscunque Dominicis post Orationem diei appositum est. Quòd si occurrat Simplex, Oratio 2. dic. de eo. 3. quæ aliàs secundo loco assignatur. Cæterùm, ne idem toties repetere oporteat, huc etiam ea, quæ suprà, *num.* 3. notata sunt, applicentur. Dictum est autem, *quibusdam exceptis*, propter casus specialiter exceptos. Unde

XXXV. *In Dominicis infra Octavas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, una de Dominica, secunda de Octava.* Rubr. cit. *num.* 10. Item in Dominicis privilegiatis 1. & 2. classis (quales sunt Dominicæ Adventûs, Septuage-

tuagesimæ, &c.) si occurrat dies Octava alicujus Festi, e. g. in Dominica 3. Adventûs Octava Immacul. Concept. B. V. M. fit tantùm commemoratio de die Octava, nec dicitur tertia; quia dies Octava est nobilior, quàm Dominica infra Octav. in qua duæ tantùm dicuntur Orationes. Gav. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 10. Arnaud. Gerlac. Si tamen etiam alia dies infra Octavam, vel Simplex occurrat, Oratio 3. dic. de eo: sicut etiam non prohibetur in hujusmodi casibus Oratio e. g. *Deus, refugium*, vel alia à SS. Pontifice, Episcopo, &c. imperata ultimo loco addenda. Ex dictis patet, in ejusmodi Missis de Dominica non tantùm non dici posse Orationem, *A cunctis*, sed neque alias, quæ aliàs infra Octavam 2. & 3. loco præscribuntur; quod proin bene notandum, ne plures errores committi contingat.

XXXVI. In Dominica Passionis duæ tantùm dicuntur Orationes, una de die, altera *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. Rubr. Missal. *in Dom. Passion.* Quòd si occurrat Festum Simplex, Oratio 2. dic. de eo: nec additur tertia. Arnaud. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 5. In Dominica Palmarum una tantùm dicitur Oratio. Rubr. ibi. *Neque fit commemora-*

tio

tio (etiam in Missis privatis) de Festo Simplici occurrente, licèt facta sit in Officio. Rubric. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 1. In Dominica in Albis verò, quamvis ea unicam habeat Orationem, debet nihilominus fieri comemoratio de Festo Simplici, si quod occurrat.

In Feriis Majoribus, & Vigiliis.

XXXVII.

NOtandum, quòd *Feriæ Majores* dicantur Feriæ Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum. Dicuntur autem *Feriæ Majores* ex eo, quòd de iis semper fiat in Officio 9. lectionum occurrente, ac in Missa commemoratio, exceptîs Vigiliis, quæ occurrunt in alia Feria majori, puta Adventûs, Quadragesimæ, &c. vel occurrunt in Festo duplici primæ classis; si enim occurrant cum alia Feria majore, de iis in Missa *tantùm* fit commemoratio: at verò, si occurrant in Festis dupl. 1. classis, nec in Officio, nec in Missis de illis aliquid fit, exceptâ Vigiliâ Epiphaniæ. Rubr. Missal. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 2. Rubr. Brev. Gav. *Sect.* 3. *cap.* 6. *num.* 2. item

cap. 11. *num.* 3. Arnaud. &c. H. N. sequitur

XXXVIII. In Feriis Adventûs, cùm Missa de Dominica praecedente cujuscunque Hebdomadæ respectivè resumenda sit (exceptis Missis Quatuor Temporum) Oratio 2. & 3. eædem sunt, quæ in Missa de Dominica præcedente. Rubr. Missal. *Dom.* 1. *Advent.* §. 2. Si autem facienda sit commem. Festi Simplicis occurrentis, dicitur ea post Orationem diei, 3. de S. Maria. Rubr. cit. §. 3. Si in Quat. Temporibus occurrat Vigil. S. Thomæ, Orat. 2. dic. de ea. 3. de B. V. Maria: nec additur alia. Rubr. Missal.

XXXIX. In Missa de Feria, à Feria 4. Cinerum usque ad Dominicam Passionis, Orat. 2. erit, *A cunctis*, 3. *Omnipotens sempiterne Deus.* Si occurrat Vigilia, vel Simplex, Oratio 2. dic. de iis. 3. *A cunctis.* Rubr. *part.* 1. *tit.* 3. *num.* 5. Tempore Passionis autem usque ad Fer. 5. Cœnæ Domini, duæ tantùm dicuntur Orationes, una de Feria, altera *Ecclesiæ*, vel *pro Papa.* Missal. Rom. Si occurrat commem. de Simplici, ea dicitur secundô locô, nec additur tertia. Arnaud. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 5. Non tamen

tamen omittitur *Oratio super populum*, quæ in Quadragesima à Feria 4. Cinerum usque ad Feriam 4. majoris Hebdomadæ, in Missa de Feria *tantùm* dicenda est, ut notat Rubr. Missal. *part.* 2. *tit.* 11. *num.* 2. Est autem pro hac Oratione specialiter notandum, quòd ea semper ultimo loco, & quidem sub speciali conclusione recitanda sit; non obstante, quòd præcedentes *Postcommuniones* juxta Regulas Rubricæ ordinarias jam sint conclusæ. Nec curandum, utrùm compleat numerum parem, vel imparem; extraordinaria quippe est, & quasi non diceretur, reputanda Cæterùm, notandæ sunt duæ Regulæ; Prima; *In Feriis Quatuor Temporum, & ubi plures leguntur Lectiones, Orationes* secundo & tertio loco addendæ, e.g. de Simplici occurrente, *A cunctis, &c. dicuntur post ultimam Orationem ante Epistolam, ut suis locis in proprio Missarum de Tempore.* Rubr. *p.* 1. *tit.* 9. *num.* 13. Secunda: *Quando fit commemoratio de Feria Quatuor Temporum, pro Feria commemoratione dicitur prima Oratio, quæ concordat cum Officio.* Rubr. cit. *tit.* 7. *num.* 4.

XL. Feria 2. *Rogation.* Missa dicitur, ut ibi notatur. Si occurrat Simplex, Oratio 2. dicitur de eo. 3. *Concede.* Feria 3. *Rogation.*

tion. Si Missa dicatur de Rogationibus, & occurrat Simplex, Oratio 2. erit de eo. 3. *Concede.* Si verò hac die Festum non occurrat, dicitur Missa de Rogationibus, ut ibi. Rubric. Missal. Gav. *part.* 4. *tit.* 11. *num.* 13.

XLI. Pro Missis de Vigilia est Regula: *In Vigiliis, quæ jejunantur (exceptâ Vigiliâ Nativitatis Domini, & Pentecostes) dicuntur tres Orationes, una de die, secunda de S. Maria*, Concede, *tertia* Ecclesiæ, *vel* pro Papa. *Sed in Vigilia omnium Sanctorum, secunda Oratio dicitur de Spiritu sancto*, Deus, qui corda fidelium; *tertia* Ecclesiæ, *vel* pro Papa. Rubr. cit. *tit.* 9 *num.* 9. Si occurrat Sestum Simplex, Oratio 2. dicitur de eo: & tertia erit, quæ aliàs 2. locô assignatur. In Vigilia Ascensionis Domini, Oratio 2. fit de Rogationibus. 3. *Concede.* Si occurrat etiam Simplex, Oratio 2. dic. de eo. 3. de Rogation. nec additur quarta. Cæterùm, quid in Eccles. Cathedral. &c. faciendum sit, si Vigilia, Feria Quatuor Temporum, vel Feria 2. Rogation. veniat infra Octavam, videatur Rubr. *part.* 1. *tit.* 3. *num.* 2.

In

In Feriis Minoribus, ſeu per Annum.

XLII.

D*Icuntur tres Orationes, ut in Semiduplicibus, aut quinque; poſſunt etiam dici ſeptem ad libitum, niſi aliter in propriis locis notetur.* Rubr. cit. *tit.* 9. *num.* 12. Orationes autem in hiſce Miſſis 2. & 3. loco dicendæ, ſunt eædem, quæ juxta qualitatem temporis pro Miſſa Dominicæ præcedentis (in qua Octava non occurrit) in Miſſali aſſignatæ ſunt; niſi tamen ſpecialis exceptio habeatur. Et hi ſunt modi ſumendi Orationes, ſeu commemorationes per decurſum anni; quamvis alii adhuc inveniantur: quia tamen ii potiſſimùm Eccleſias Cathedrales, & Collegiatas concernunt, aut ſolùm particulariter obſervandi ſunt, iidem hoc loco conſultò omittuntur, prout ſuprà *num.* 21. notatum habes. Nihilominus duas adhuc difficultates (quæ quidem ex prædictis colligi, & reſolvi poſſent) pro majori Celebrantium commoditate ſpecialiter hîc annectere placuit, quarum *Prima* eſt: Quando Oratio, *A cunctis*, vel

tion. Si Missa dicatur de Rogationibus, & occurrat Simplex, Oratio 2. erit de eo. 3. *Concede.* Si verò hac die Festum non occurrat, dicitur Missa de Rogationibus, ut ibi. Rubric. Missal. Gav. *part.* 4. *tit.* 11. *num.* 13.

XLI. Pro Missis de Vigilia est Regula: *In Vigiliis, quæ jejunantur (exceptâ Vigiliâ Nativitatis Domini, & Pentecostes) dicuntur tres Orationes, una de die, secunda de S. Maria,* Concede, *tertia* Ecclesiæ, *vel* pro Papa. *Sed in Vigilia omnium Sanctorum, secunda Oratio dicitur de Spiritu sancto,* Deus, qui corda fidelium; *tertia* Ecclesiæ, *vel* pro Papa. Rubr. cit. *tit.* 9. *num.* 9. Si occurrat Sestum Simplex, Oratio 2. dicitur de eo: & tertia erit, quæ aliàs 2. locô assignatur. In Vigilia Ascensionis Domini, Oratio 2. fit de Rogationibus. 3. *Concede.* Si occurrat etiam Simplex, Oratio 2. dic. de eo. 3. de Rogation. nec additur quarta. Cæterùm, quid in Eccles. Cathedral. &c. faciendum sit, si Vigilia, Feria Quatuor Temporum, vel Feria 2. Rogation. veniat infra Octavam, videatur Rubr. *part.* 1. *tit.* 3. *num.* 2.

In

In Feriis Minoribus, seu per Annum.

XLII.

D*Icuntur tres Orationes, ut in Semiduplicibus, aut quinque; possunt etiam dici septem ad libitum, nisi aliter in propriis locis notetur.* Rubr. cit. *tit.* 9. *num.* 12. Orationes autem in hisce Missis 2. & 3. loco dicendæ, sunt eædem, quæ juxta qualitatem temporis pro Missa Dominicæ præcedentis (in qua Octava non occurrit) in Missali assignatæ sunt; nisi tamen specialis exceptio habeatur. Et hi sunt modi sumendi Orationes, seu commemorationes per decursum anni; quamvìs alii adhuc inveniantur: quia tamen ii potissimùm Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas concernunt, aut solùm particulariter observandi sunt, iidem hoc loco consultò omittuntur, prout suprà *num.* 21. notatum habes. Nihilominus duas adhuc difficultates (quæ quidem ex prædictis colligi, & resolvi possent) pro majori Celebrantium commoditate specialiter hîc annectere placuit, quarum *Prima* est: Quando Oratio, *A cunctis*,

vel

vel *Concede*, dici debeat. *Secunda*: Quando, & qualiter Oratio, *Deus, refugium*, vel alia, e. g. ab Episcopo, imperata recitanda sit. Quoad *Primam* igitur quæritur:

Quando dicenda sit Oratio, *A cunctis*, vel *Concede nos famulos*, de B. V. Maria?

PRo Resolutione practica, en tibi sequentes Regulas: ex quibus est

Regula I. Quotiescunque Suffragia Sanctorum consueta dicuntur in Officio, toties in Missa Oratio 2. *A cunctis*. 3. *ad libitum*, recitantur. Excipe tempus à Nativitate Domini usque ad Purificationem, quo Oratio 2. dic. *Deus, qui salutis*, 3. *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. Arnaud. *part. 1. tit. 9. num.* 3. Dicitur itaque Oratio *A cunctis*, à Purificatione B. V. M. (id est, à 2. Februarii) usque ad Dominicam Passionis exclusivè, & à Festo SS. Trinitatis usque ad Adventum exclusivè: aliis temporibus non dicitur. Quando autem Oratio 2. dicitur, *A cunctis*, additur necessariò etiam tertia, & quidem à Feria 4. Cinerum Oratio 3. pro vivis & defunctis, *Omnipotens sempiterne Deus*, aliis

aliis autem temporibus, *tertia ad libitum.* Vide etiam dicta suprà, *num.* 15. 18. & 23.

Regula II. Quotiescunque Oratio, *A cunctis*, assignatur secundô locô dicenda, & occurrit Festum Simplex, Feria major, vel Vigilia, illa ponitur tertio loco, omissâ aliâ, quæ aliàs assignatur tertiô locô, velut *Omnipotens sempiterne Deus, &c.* Et in simili quidem casu locò Orationis, *A cunctis*, nulla alia dici potest, etiam imperata à SS. Pontifice, ut ex prædictis patet. Quare errant, qui e. g. in Quadragesima celebrantes Missam de Semiduplici, dicunt Orationem 2. de Feria; & tertiam *pro remissione peccatorum*, aut aliam pro sua, vel aliorum devotione locò Orationis, *A cunctis*. Item errant, qui extra tempus Quadragesimæ in Missa de Festo Semiduplici, vel etiam de Dominica recitatâ, post commem. Festi Simplicis occurrentis addunt aliam quamcunque Orationem locò Orat. *A cunctis*, in simili casu tertio loco dicendæ. Item errant, & quidem *contra* 1. *Regul.* qui (nisi de alio privilegio, &c. constet) post Orationem diei recitant Orationem aliquam Votivam, e.g. de SS. Trinitate, & tertio loco, *A cunctis*. Excipe tamen *primò:* si, dum Oratio *A cunctis* secundo loco dicenda est, additur

aliqua

aliqua Oratio pro Defunctis; tunc enim hæc (*ad libitum* electa) dicitur 2. loco, & post eam Orat. *A cunctis*. Excipe *secundò*: si apud F.F. Minores fit Officium de SS. Stigmatibus S. P. Francisci per annum cum commem. S. Dominici; dicitur enim hæc (nullo occurrente Simplici) in Missa 2. loco, & post eam Orat. *A cunctis*. Unde infertur, quòd, si Oratio *A cunctis* (aliàs secundo loco dicenda) alia commemoratione necessaria impedita sit, ea tertio loco recitari debeat, nisi ex Rubrica, vel dispositione speciali aliter constet. Excipe *tertiò*: Missam de Sancto, qui titulus est Altaris, de quo tamen non recitatur Officium, sed Missa tantùm ad ejusdem Altare in die ejus Festo: dicitur enim Oratio 2. de eo, de quo fit Officium: & tertia, quæ tunc temporis secundo loco dicenda foret. Lohner *part.* 2. *tit.* 11. *num.* 11.

Regula III. Quoticscunque Oratio *A cunctis*, aliis commemorationibus necessariò recitandis impedita, secundo, vel tertio loco dici nequit, ea non censetur addenda necessariò quarto loco: e.g. si in Missa de Festo Semiduplici sit facienda commem. de Vigilia, & Simplici occurrentibus; item, si celebretur Missa Votiva v.g. de S. Josepho,

pho, in Festo Semiduplici, in quo occurrit etiam Simplex, Oratio 1. dicitur de S. Josepho. 2. de Semiduplici. 3. de Simplici, in his & similibus casibus non additur Oratio 4. *A cunctis:* imò in Missis de Semiduplici eam 4. loco addi non posse, probabiliùs videtur; utpote cùm in eis tres tantùm sint dicendæ Orationes (ut notat Quarte, *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 12. ℣. *Dubitari potest.*) nisi plures dicere oporteat ob commemorationes speciales (Lohner *part* 2. *tit.* 11. *num.* 6.) quarum nomine non venit dicta Oratio *A cunctis.* Lohner cit. *tit.* 12. *num.* 1. Quòd si tamen in Missis Votivis, numerô ternariô per necessarias Orationes jam completô, addenda sit Oratio quædam e. g. imperata, hæc ponitur 5. loco, & quarta erit *A cunctis:* nam ejusmodi Oratio imperata ordinariè ultimo loco additur. Hoc autem sic intellige, si quis Orationes numerô impares dicere velit; secus enim Oratio 4. erit imperata, & Oratio *A cunctis &c.* omittitur.

Regula IV. Dicitur autem præfata Oratio *A cunctis*, temporibus in *Regul.* 1. assignatîs, solummodò in Missis de Dominica, de Semiduplici, de Feria majore, ac minore per annum, de Simplici, & in Mis-

sis Votivis extra Octavas celebrandis, quando in Missa diei Oratio 2. *A cunctis*, assignatur, iis exceptis, quæ de B. V. Maria, de SS. Apost. Petro & Paulo, ac de omnibus Sanctis celebrantur; nam in Votivis de B. V. M. ac omnibus Sanctis tertia Oratio est de Spiritu sancto, partim propter Rubr. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 15, partim, quòd in Votiva omnium Sanctorum non sit assignabilis alia magìs conveniens: non enim de B. V. M. *Concede nos famulos*, utpote quæ etiam infra Octavam præfati Festi non dicitur. Nec Oratio, *A cunctis*; quia per ipsam Missam, ac præcipuè per Orationem principalem sufficienter, omnium Sanctorum Suffragia implorantur. Rectè igitur Orationem de Spiritu S. (quæ etiam infra Octavam omnium Sanctorum præscribitur) recitari censetur. Porrò Votivam de SS. Apost. Petro & Paulo vide suprà, *tit.* 1. §. 4. *num.* 11.

Regula V. Non tamen dicitur in Missis de Duplici: infra Octavas quascunque: ac etiam in omnibus Missis infra Octavas occurrentibus celebratis, quamvìs in iis extra Octavas ea recitari deberet: e. g. in Festo S. Anacleti Oratio 2. est *A cunctis:* si tamen hoc Festum occurrat infra Octavam

v. g.

v. g. Dedicationis, Oratio 1. dic. de S. Anacleto. 2. de Octava. 3. *Concede.* Item non dicitur in Vigiliis Sanctorum, si Missa de Vigilia celebratur. Neque etiam dicitur in Missis de *Requiem.*

Petes autem, an, si Oratio 2. est *A cunctis*, & 3. *ad libitum*, & pro hac eligitur & dicitur Oratio de Sancto aliquo, isthæc sit dicenda secundô, & Oratio, *A cunctis*, tertio loco? Resp. negativè, etiamsi sit de Spiritu S. vel SS. Trinitate: Arnaud. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 5. dicens: Si velis dicere Orationem de aliquo Sancto, 2. Oratio erit, quæ secundo loco dicenda erat, puta *A cunctis*, & tertia de Sancto pro devotione, & sic de aliis. Vide suprà *num.* 3. ac etiam Gerlac. *part.* 1. *tit.* 7. §. 5.

Quoad alteram quæsiti partem, de recitanda Oratione de B. V. Maria, *Concede, nos famulos*, est

Regula I. Oratio *Concede*, sumitur *A Feriâ 2. post Octavam Pascha*, sive post Dominicam in Albis, *usque ad Ascensionem*, *nisi sit Festum duplex.* Rubr. Missal. Item, sumitur *Infra Octavas quascunque* (exceptis iis, de quibus Regul. seq.) *& in Vigiliis, quæ jeju-*

nantur. Rubr. *part*. 1. *tit*. 9. *num*. 9. Est autem hæc Oratio respectivè tractanda eodem modo, quo de Oratione, *A cunctis*, Regulis præcedentibus notatum est. Item, dicitur ea in Festis non duplicibus, & Votivis infra dictas Octavas occurrentibus. Item, quando in Votiva de SS. Petro & Paulo Apost. juxta occurrentiam temporis dicenda esset Oratio, *A cunctis*. Rubr. cit. *num*. 15. Item sumitur, quando vel ex ipsa Rubrica, vel juxta temporis exigentiam, aut aliunde specialiter assignata reperitur.

Regula II. Non dicitur præfata Oratio, *Concede*: 1. In Festis Duplicibus quibuscunque. 2. In Dominicis infra Octavas occurrentibus. 3. Infra Octavam Epiphaniæ (nam Oratio 2. est, *Deus, qui salutis*, ut ibi notatur) Paschæ, Pentecostes, B. V. Mariæ, & omnium Sanctorum. 3. In Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, & omnium Sanctorum. 4. Toto tempore Adventûs, ab Octava Epiphaniæ, & quando assignatur Oratio 2. *A cunctis*, nisi occurrant Octavæ (exceptîs Octavîs B. V. Mariæ) quia infra illas, etiam in Adventu, dicitur Oratio, *Concede*. 5. Non dicitur in Missis Votivis aliorum Apostolorum; nisi juxta temporis exigentiam aliàs dici debeat.

debeat. Nec dicitur in Votiva de SS. Petro & Paulo, quando secundùm tempus non præscribitur Oratio, *A cunctis*, e. g. in Adventu, post Octavam Epiphaniæ. Gav. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 15. *litt. H.*

Cæterùm, cùm non ratò contingat, Festa Semiduplicia transferri ad illud tempus, quo in Missis Orationes 2. & 3. loco dicendæ non sunt eædem, quæ illo tempore, quo aliàs occurrunt ejusmodi Semiduplicia; ad evitandos multos errores notanda est Regula, videlicet: In Missis de Semiduplici translato celebratis, Oratio 2. & 3. dici debet juxta qualitatem temporis, quo tunc celebrantur; non autem, quo aliàs occurrit dies proprius Festi. Sit exemplum: Festum S. Antonini Episc. & Conf. occurrit tempore Paschali; quare hoc tempore in Missa Oratio 2. *Concede.* 3. *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*, recitari debet. Rubr. Missal. post *Dom. in Albis.* Si tamen hoc Festum transferendum sit post Festum SS. Trinitatis, Oratio 2. dicitur *A cunctis.* 3. *ad libitum.* Rubr. Missal. *Dom.* 1. *post Pent.* Quòd si autem omnino illud transferri contingat ad tempus Adventûs, Oratio 2. dicitur de Feria, 3. *Deus, qui de B. Maria.* Rubric. *Dom.* 1. *Advent.* Item, si Festum Semidu-

plex (pro quo in Quadragesima dicenda est Oratio 2. de Feria, &c.) transferatur ad tempus Paschale, Oratio 2. erit *Concede*. 3. *Ecclesia*, *&c.* & sic de omnibus aliis, nisi ex dispositione Rubricæ, vel concessione speciali aliud faciendum sit. Nec obstat, quòd forsan Oratio 2. & 3. in Missali juxta temporis occurrentiam ordinariam expressè notatæ sint; quia hoc juxta Ritum ordinarium, & pro majori celebrantium commoditate solummodò factum est. Desumitur autem præfata Regula etiam ex eo, quòd in Officio Divino quoque fieri deberet commemorationum mutatio: sic in præfato exemplo S. Antonini, tempore Paschali dicitur quidem commem. de Cruce, absque alia: post Pentecosten tamen deberent recitari Suffragia SS. tempore Adventûs verò, nec Suffragia SS. neque commemoratio de Cruce; & sic de aliis. Deinde, si ipsa Missa Ritu non Paschali celebranda, imò & in aliquibus mutanda est, si post Pentecosten sive ut Festiva, sive ut Votiva, dicitur (ut patet ex ipso Missali) quid ni & Orationes 2. & 3. loco recitandæ; cùm eædem mutari etiam debeant, si Festum Semiduplex (quod habet Oration. 2. *A cunctis*. 3. *ad libitum*) occurrat infra Octavam celebrandam.

Mo-

Modus ſumendi Orationem, e. g. *Deus refugium*, vel aliam imperatam.

R*Egula I.* Suppoſitô, quòd hujusmodi Oratio dici queat in omnibus Miſſis, quæ non ſunt primæ claſſis, aut de *Requiem* (quamvìs etiam in Duplicibus 2. claſſis, ſaltem in Miſſis ſolemnibus rectiùs omittatur, niſi obſtet conſuetudo, &c.) ea regulariter dicitur ultimô locô, ſervato tamen ordine, & numero aliarum Orationum aſſignatô.

Regula II. Oratio prædicta non dicitur ante alias Orationes ex præſcripto Rubricæ neceſſariò recitandas, puta de die infra Octav. Feſto Simplici, Feria majori, Vigilia, &c. nec etiam ante illas, quæ 2. & 3. loco, veluti *A cunctis*, dicendæ ſunt: cùm ejusmodi Orationes, utpote Votivæ cedant omnibus aliis. Gerlac. *part.* 1. *tit.* 7. §. 5. Arnaud. Nec omiſsâ aliquâ, quæ 2. & 3. loco dici jubetur, veluti *A cunctis*, in ejus locum inſeri poteſt. Unde in Dominicis, Semiduplicibus, in Miſſa de Octava, de Feriis majoribus, &c., quæ habent tres

tres Orationes, & admittunt quartam absque eo, ut necessariò addatur etiam quinta, Oratio præfata dicitur quarto loco; e. g. In Dominica vel Semiduplici Oratio 2. est *A cunctis*. 3. *ad libitum*. 4. *Deus refugium*. Item, si in his casibus occurrat etiam Simplex, Oratio 2. dic. de eo. 3. *A cunctis*. 4. *Deus, refugium*. Infra Octavam, e. g. Epiphaniæ, Oratio 2. de B. V. M. 3. *Ecclesiæ*, 4. *Deus, refugium*. Si occurrat Simplex, Oratio 2. fit de eo. 3. de B. V. Maria. 4. *Deus, refugium*. In iis autem, quæ non admittunt tres, sed duas tantùm ordinariè Orationes, e. g. Dominica Passionis, Oratio tertia erit, *Deus, refugium*. In aliis Missis, quæ admittunt numerum imparem Orationum, uti Votivæ privatæ, dicitur ad complendum numerum quinarium, vel septenarium, non verò ternarium; e. g. in Missa Votiva S. Josephi Oratio 1. dic. de eo. 2. de die occurrente. 3. *A cunctis*. 4. una *ad libitum* suæ devotionis, etiam pro Defunctis. 5. *Deus, refugium*. Joseph. de Brend. *De Oration.* ℣. *Notandum tamen*. Excipe ab hac etiam Regula, si vel ex Rubrica, vel concessione, aliter faciendum sit.

§. II.

§. II.

De aliis, & variis promiscuè.

TRactatum est hactenùs tum de SS. Missæ Sacrificio juxta Missalis Romani Rubricas rite, & exactè celebrando; tum de iis, quæ in Missis Votivis, & Defunctorum, ac in Orationibus dicendis quandam possunt causare difficultatem. Restat igitur, juxta præsentis Opusculi propositum, unum hoc, ut de aliis quoque ad Missæ Sacrificium, facientibus, promiscuè saltem, agatur. Quare sequitur

I. In Oratione, *A cunctis*, ad illa verba: *atque B. N.* non est pro libitu aliquis Sanctus nominandus, e. g. Patronus Diœcesis, vel apud Regulares Fundator Ordinis, Provinciæ Titularis, vel hujusmodi; sed Patronus Ecclesiæ illius, in qua tunc celebratur. Si tamen ipsa Missa, vel saltem in eadem commemoratio quædam de Patrono in ejusdem Ecclesia dicatur, vel B. V. Maria, aut SS. Petrus & Paulus Patroni Ecclesiæ existant, in tali casu vel omnino omittuntur verba, *atque B. N.* ne de eodem bis mentio fiat in Collectis; vel (quod magis convenit, Loh-

ner *part.* 2. *tit.* 11. *num.* 10.) nominari poterit locò illius (Patroni) alius quicunque Sanctus ad libitum, seu pro sua devotione. Idem proportionaliter intellige, si Titulus Ecclesiæ sit SS. Trinitas, Spiritus S. sancta Crux, &c. Quòd si S. Michaël, aut S. Joannes Baptista vel (post Decretum Benedicti XIII. 19. *Dec.* 1726.) S. Joseph Patroni sint, præponuntur SS. Apostolis Petro & Paulo, e. g. *A cunctis nos, quæsumus, &c. Dei genitrice Maria, Beato Joanne Baptista, cum beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, & omnibus Sanctis, &c.* Rubr. Missal. Gav. *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 2. ac *part.* 4. *tit.* 17. *n.* 29. Arnaud Gerlac. Merati *p.* 1. *tit.* 9. *ad Num.* 2. *n.* 3. Unde

II. Errant: 1. Qui in aliena Ecclesia celebrantes (nisi de speciali privilegio constet, quod & in seqq. nota) nomen Patroni suæ Ecclesiæ exprimunt. 2. Qui nomen Patroni Diœcesani; vel Regulares, qui Fundatorem Ordinis, aut Patronum Provinciæ nominant. 3. Errant Regulares, qui ante Apostolos nomen Fundatoris sui, & ad *N.* Patroni Ecclesiæ exprimunt: aut vice versa ante Apostolos nomen Patroni (qui non est S. Michaël, vel S. Joannes Baptista) atque ad *N.* Fundatorem, vel etiam alium

alium pro sua devotione nominant. 4. Qui nomine, e. g. S. Michaëlis, ante Apostolos rite expressô, post istos insuper nomen Fundatoris, &c. pronuntiant. Porrò notandum est, quod ex Guyeto docet Merati cit. *num.* 1. videlicet: Quòdsi plures fuerint alicujus Ecclesiæ Titulares, vel Patroni principales, considerari debet, utrùm sint juncti simul per se, & per modum unius, utì sunt e. g. SS. Gervasius & Protasius: SS. Joannes & Paulus &c. vel utrùm uniti sint per accidens, utì sunt e. g. SS. Stephanus & Udalricus, &c. si *primum*, ambo sunt in Orat. *A cunctis*, *&c.* nominandi simul, quia se habent per modum unius; si *secundum*, is tantùm nominandus est in eadem Oratione, qui principalis consideratur, aut de cujus nomine Ecclesia nuncupatur.

III. In Missa, quam quandoque Celebrans cantat sine Diacono, & Subdiacono, dicit novies, *Kyrie eleison*, *&c.* in cornu Epistolæ, ut in aliis Missis solemnibus. Gav. *p.* 2. *tit.* 6. *n.* 8. Arnaud. *part.* 2. *tit.* 6. *num.* 22. Item, Evangelium pro solemni Palmarum Benedictione canendum est in cornu Epistolæ ab illo, qui celebrat absque Diacono & Subdiacono. S. R. C. 27. *April.* 1697.

1697. Attamen, in Missis privatis legitur in die Palm. &c. Passio in cornu Evangelii (Corset *part. 2. tit. 5. n. 21.*) qua tota finita osculandum est non initium Passionis, sed initium ultimæ partis ejusdem. Gav. *part. 4. tit. 7. num. 20.*

IV. Non est facienda Altaris Thurificatio in Missa Conventuali dierum solemnium, si absque cantu, & Ministris celebretur, S. R. C. 22. *Jan.* 1701. Sub ly *Ministris* autem Ministri Sacri, Diaconus, & Subdiaconus intelligendi sunt. Quòd si verò absque Ministris cum cantu saltem celebretur, Thurificatio Altaris per hoc Decretum non prohibetur.

V. In Ecclesiis, ubi Titulus est Ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, quamvìs duæ Missæ cantari possint, una de die, alia de Festo, ut notat Rubr. Missal. *part. 1. tit. 6. num. un.* poterit nihilominus omitti Missa solemnis de die, & cantari sola Missa Votiva de Festo Titulari occurrente, vel alio, in iis Ecclesiis, in quibus non est obligatio cantandi Missam quotidie. S. R. C. 17. *Aug.* 1709. Excipe tamen Dominicam 1. Adventûs, Fer. 4. Cinerum, & alios dies

in

in Missali, loc. cit. exceptos, in quibus non possunt cantari duæ Missæ præfatæ, & consequenter neque Missa solemnis de Festo, quod transferri debet. Quart. *part.* 1. *tit.* 6. Imò nec potest his diebus exceptis fieri commemoratio Festi transferendi, ut docet Quart. cit. *dub.* 2. Attamen illis diebus, quibus cantari potest Missa de Festo Titulari, &c. in Missis privatis (quæ omnes dici debent de die, & secundùm ordinem Officii, ut notat Quart. *part.* 1. *tit.* 6.) commemoratio fieri potest de Festo transferendo, & quidem regulariter secundo loco. Gerlac. *part.* 1. *tit.* 6. §. 4. quamvìs quoad hoc contrarius sit Quart. ut dictum est suprà, §. 1. *num.* 27. In Missa autem solemni de Sancto cantatâ non fit commemoratio diei; cùm habeat rationem Votivæ solemnis, ut desumitur ex responsione S. R. Congregationis ad præfatum dubium dicentis: *Rescribendum in casu proposito pro gratia cantandi Missam solemnem Votivam de Festo occurrente tantùm.* Dicitur tamen *Præfatio*, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, ut in Missa diei currentis, nisi Sanctus *Præfatione* propria gaudeat, prout dictum habes alibi.

VI. Qui

VI. Qui recitat Officium de Sancto, de quo habet insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebret eo die in alia Ecclesia, debet omittere *Credo*. S. R. C. 2. *Dec.* 1684. Ex quo patet, concessionem Symboli in hujusmodi casu afficere Ecclesiam tantùm, ubi asservatur Reliquia; non autem comitari Sacerdotem alibi celebrantem. Vide de hoc etiam suprà, *Tit. 6. in fine.*

VII. Quando dicitur Oratio, *A cunctis*, vel *Ecclesiæ*, non est dicenda Oratio, *Contra Paganos*, vel alia hujusmodi; quia sufficienter una continet, quod & altera. S. R. C. 16. *April.* 1688. Item, quando dicitur Collecta vel Missa *Contra Paganos*, non potest mutari nomen *Paganorum*, dicendo, *Turcarum*, *Hæreticorum*, *&c.* S. R. C. 29. *Julii*, 1689.

VIII. Diebus Dominicis, quibus tam Regulares, quàm exteri celebrant de Dominica, possunt exteri (celebrantes in Ecclesiis Regularium) uti coloribus Paramentorum, quibus utuntur Regulares ratione alicujus Octavæ: & Regulares celebrantes in alienis Ecclesiis uti possunt coloribus juxta Ritum earundem. Insuper tam exteri in Ecclesiiis Regularium, quàm Regu-

lares

lares in alienis, possunt apponere commemorationem Octavæ occurrentis, servatâ Rubricâ de duplici Oratione habenda in Dominicis infra Octavam. S. R. C. 11. *Junii*, 1701.

IX. Diebus Dominicis, aliisque diebus, quibus in Regularium Ecclesiis celebratur de Sanctis Ordinis sub Ritu duplici cum Solemnitate, & concursu populi, Sacerdotibus exteris ad eas confluentibus non est permittenda celebratio de Dominica, vel alio Festo, vel etiam de *Requiem*. Item, Regulares diebus, quibus propria Officia celebrant sub Ritu duplici, celebrantes in alienis Ecclesiis non possunt celebrare Missas cum dictis Officiis concordantes, sed (supposita Solemnitate & concursu populi) debent celebrare de aliis, conformando se Ritui earundem Ecclesiarum, ac etiam de *Requiem*. S. R. C. cit. *num. præc.*

X. Sed quid, si quis recitans Officium duplex de Martyribus, Missam celebret in alia Ecclesia, ubi celebratur duplex de Confessore? Resp. suppositô, quòd ejusmodi Festa non habeant rationem illorum, quorum *num. præc.* mentio facta est; posse juxta praxin Romanam, sub albo colore cele-

brari

brari Missam de Martyre ; & è contrario. Sic autem Romæ quotidie practicari, liquet ex rescripto Romano de hoc specialiter dato. Quia tamen de hoc faciendo obligatoriè non constat, ut patet ex verbo *posse*, non videtur malè facere Sacerdos, qui etiam quoad ipsam Missam Ecclesiæ, in qua celebrat, aliquando saltem, sese accommodat. Cæterùm, quòd si quis recitans Officium de Semiduplici, Simplici, &c. & in aliena Ecclesia, ubi de Festo duplici agitur, celebrans, possit dicere Missam de duplici juxta Ritum Ecclesiæ, in qua celebrat, videtur extra controversiam.

XI. Die Consecrationis, vel Tituli Ecclesiæ Parochialis non Cathedralis, & per Octavas non potest celebrari Missa Dedicationis, seu Titularis sub eodem Ritu, ac in Parochiali, etiam in Oratoriis eidem Parochiali subjectis. S. R. C. 17. *August.* 1709.

XII. Cùm varia apud nonnullos Sacerdotes, præsertim juniores, non raró dubia, & difficultates oriri soleant ratione trium Missarum in Nativitate Domini ad libitum celebrandarum, pro coronide præsentis Opusculi, & praxi Celebrantium sequentia addere

addere placuit; videlicet: In tribus Missis celebrandis, circa ablutionem post sumptum diligentiùs S. Sanguinem advertendum est, ne illa sumatur per Sacerdotem in prima, & secunda Missa; supposito, quòd omnes tres dicere intendat. Neque tunc (prout etiam in 2. & 3. Missa ad Offertorium) Calix extergatur; sed duo primi digiti utriusque manûs abluantur in separato quodam Calice, aut alio vase mundo ad hoc in Altari præparato: idque observetur semper, quando præfatæ tres Missæ successivè simul super eodem Altari dicuntur: atque tunc semper maneat Corporale substratum, usque dum in tertia Missa ablutio sumpta fuerit. Calix etiam in hoc casu post sumptum S. Sanguinem; Purificatoriô in Altari remanente, semper Patenâ, Pallâ, & Velô cooperiatur. Item; secundam Missam vel tertiam inchoaturus; Sacerdos facta inclinatione Cruci in medio Altaris; convertens se à latere dextro descendit ante infimum gradum Altaris; & si in eo sit SS. Sacramentum (in Tabernaculo inclusum, vel patenter in Monstrantia, aut etiam Ciborio expositum, intellige) genuflectit; sin minùs, profundè se inclinat, statímque incipit Missam; ac eam more solito prosequitur. Castald. *lib.* 3.

Sect. 2. *cap.* 4. *num.* 6. Bauldr. *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 29. Ex quo patet, Reliquias SS. Sanguinis, post 1. & 2. Missam in fundo Calicis remanentes, non reputari tanquam Sacramentum expositum quoad cultum publicum, prout veneratur Hostia in Cœna Domini consecrata, & pro Feria 6. Parasceves reservata. Unde etiam genuflexiones, & Ritus Missæ, coram SS. Sacramento exposito celebrandæ convenientes omittuntur.

Quòd si autem finitâ primâ, vel secundâ Missâ discedendum sit ab Altari, quoties id fit, Sacerdos vel Calicem vinô purificet, ipsúmque purificationis vinum cum digitorum ablutione in vasculo ad hoc parato refundat (ut placet Castaldo *lib.* 3. *Sect.* 2. *cap.* 4. *num.* 8.) vel abluat digitos super Calice, in quo tunc sacrificavit, eóque parùm circumacto purificationem illam infundat alteri Calici, aut vasi super Altari, & dein Calicem Purificatoriô extergat, ut aliàs. In tertia Missa sumpta consueta purificatione, & facta ablutione, cum hac etiam illam purificationem ex vase illo mundo in Calicem refusam simul sumat. In prima tamen, & secunda Missa sub ablutione digitorum dicuntur consuetæ Orationes.

tiones. Vide Lohner *de Miss. sacrif. part.* 4. *tit.* 7. *num.* 4.

XIII. In nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam nullo modo possunt aliæ duæ immediatè celebrari, nec Fideles communicari. S. R. C. 20. *April.* & 7. *Dec.* 1641. 22. *Nov.* 1681. 23. *Mart.* 1686. 18. *Dec.* 1702.

MANTISSA.

Mystica Expositio SS. Missæ Sacrificii Vitam & Passionem Christi repræsentantis.

SS. Missæ Sacrificium Vitam & Passionem Christi mysticè repræsentare, extra dubium est. Ut igitur cuique Sacerdoti, præsertim meditationibus Vitæ & Passionis Christi addicto & devoto pia recolendi materia breviter subministretur, sequens pro Missa privata serviens Mystica Expositio, ex variis Authoribus desumpta, subjungitur.

I. Sacerdos procedit de Sacristia ad Altare; quia Verbum Divinum ad humanam naturam assumendam egressum est de sinu Patris. Gav. *part.* 2. *tit.* 16. *num.* 1.

II. Sacerdos aperit librum; quia Christus, verus Agnus Dei, aperuit librum, & signacula ejus. *Apoc.* 5. ex Innoc. III. *lib.* 2. *cap.* 3.

III. Intendit Sacerdos Sacrificium offerre generatim pro vivis & defunctis; quia Christus, ut omnes salvaret, se ipsum Hostiam obtulit pro omnibus.

IV. Sacerdos inchoans Missam, producit manu dextera signum Crucis, primò à fronte ad pectus; quia Christus de cælo descendit in terram: deinde ab humero sinistro ad dextrum; quia de miseria, quæ per sinistram significatur, transire debemus ad gloriam, sicut & Christus de morte transivit ad vitam. Innocent. *de Myster. Missæ*, *lib.* 2. *cap.* 45. apud Quarti *p.* 2. *tit.* 3. *post Num.* 11. Inclinat se autem Sacerdos ante Altare, facitque Confessionem; quia Verbum divinum formam servi accipiens in Similitudinem carnis peccati, semetipsum exinanivit, nostráque super lignum peccata portavit. Durand. in *Rational. lib.* 4. *c.* 7.

V. Sa-

V. Sacerdos dicit novies *Kyrie eleison, &c.* Id est, *Domine, miserere, &c.* orátque contra novem genera peccatorum, videlicet contra peccatum Originale, Mortale, Veniale: Cordis, Oris, & Operis: Infirmitatis, Ignorantiæ, Malitiæ; quia Christus pro transgressoribus rogavit, dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Durand. *lib.* 4. *c.* 11. *& seq.* Gav. *num.* 2.

VI. *Gloria in excelsis Deo*, indicat Angelos, natô Dominô, gaudentes & laudantes Deum. Innoc. *cap.* 20. Signum Crucis ad *Cum sancto Spiritu in gloria, &c.* significat Circumcisionem Christi. Melch. Huelam. *Dominus vobiscum*, hoc loco indicat apparitionem, natô Dominô, Magis factam. *Prax. Spirit.* apud Gav. *num.* 5. Oratio significat Præsentationem Christi in templo. Gav. *num.* 6. ex ead. *Praxi spirit.*

VII. Post Orationem, vel Orationes sequuntur Epistola, Graduale, Alleluja, & Evangelium. Significat autem Epistola mysticè prædicationem Joannis Baptistæ, quæ præcessit Evangelium. Graduale denotat pœnitentiam populi ex prædicatione compuncti. Subsequens Alleluja significat hilaritatem animæ, quæ nascitur ex vera pœ-

nitentia. Evangelium denique repræsentat prædicationem Christi. Quarti *p.* 1. *tit.* 10. *post Num.* 6. Porrò *Evangelium* est vox græca, latinè sonans *bonum nuntium*, Isidor. *lib.* 1. *cap.* 9. bonum enim nuntium continet, nempe verba vitæ æternæ, & regni Dei, & Sapientiam sapientiæ, Innoc. *lib.* 2. *cap.* 47. Item, continet bonum nuntium nostræ redemptionis, quæ per vitam, passionem, mortem, &c. Christi facta est.

VIII. Notandum est autem, quòd per sinistram Altaris partem, seu per cornu Epistolæ significetur pars Ecclesiæ ex Judæis collecta, & econtra per cornu Evangelii pars Ecclesiæ dignior ex gentibus coadunata; & idcirco in cornu Epistolæ leguntur Prophetiæ, & alia ex veteri testamento: item legitur in eodem cornu Introitus, Adventum Christi significans; quia Messias primò missus fuit ad Judæos, & ad oves, quæ perierant, domûs Israel. Lectâ autem Epistolâ & Graduali, transfertur Liber Missalis ad cornu Evangelii; quia repulsa à Judæis prædicatione, Evangelium annuntiatum fuit gentibus in eorum conversionem. Ivo *serm. de convent. vet. & novi Sacrificii.* Durand. &c. Unde *Actor.* 13. scriptum est: *Filii generis Abraham, vobis verbum salutis hujus* *missum*

missum est; & infra: *sed quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad Gentes, &c.* Cæterùm, sub lectione Evangelii Missale ità locatur, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, ne Sacerdos terga vertat ad populum, cui annuntiat Evangelium, sed aliquantulum sit ad eum conversus. Quarti *part. 2. tit. 6. num. 1.*

IX. Lectô Evangeliô, mox dicitur (si dicendum sit) Symbolum, seu *Credo*; quia promulgatio Evangelii per Christum facta parit fidem in corde, & ejus confessionem in ore. Durand. *lib. 4. cap. 25.* Ut ergo discamus sacri verba Evangelii, & corde esse credenda, & ore confitenda; Ecclesia adnectit Symbolum Evangelio, prout ex Ambros. & August. notat Suarez *dis.* 83. *Sect.* 1. §. 10. & docet Strabo cum Durando.

X. Post Symbolum dicitur Versus, seu Offertorium, à quo inclusivè incipit Missa Fidelium, sic appellata, quia huic parti assistere permittebantur tantùm illi, qui Fidem per Baptismum professi fuerant, ut ex Augustino, Cyrillo, & aliis PP. notat Suarez *disp.* 83. *sect.* 1. apud Quarti *part.* 1. *tit.* 12. *num.* 1. Offert autem Sacerdos Hostiam & Calicem, quia Christus Dominus

Sacerdos in æternum secundùm ordinem, Melchisedech panem & vinum obtulit, & benedixit, antequam consecraret: ad cujus imitationem Ecclesia præscribit, ut materia consecranda in Missa, priùs multipliciter, e.g. per oblationem, per aquæ cum vino mixtionem, &c. ad ipsam consecrationem disponatur. Quarti *p. 2. tit. 7. in fine* qui etiam *p. 1. tit. 13. num. 5.* notat, dicens: Offertorium cum oblatione panis & vini, quæ fit in præparationem Sacrificii, significat dispositionem & promptam voluntatem Christi Domini erga Sacrificium Crucis.

XI. Post Oblationem, &c. sequuntur Orationes secretæ, quæ denotant silentium Christi appropinquante jam Passione, quia non palàm ambulabat. Innocent. *de Myster. Miss. lib. 2. cap.* 54. Suarez, &c. Orationes secretas sequitur Præfatio, quæ repræsentat triumphum Christi in die Palmarum, acclamantibûs turbîs, & dicentibûs: *Hosanna Filio David; Benedictus, qui venit, &c.* Innoc. *lib. 2. cap.* 61. Cæterùm, in Missa à principio usque ad Canonem, mysteria Christi repræsentantur ab ejus Incarnatione & Nativitate usque ad Passionem: à principio autem Canonis, & deinceps usque

ad

ad fractionem Hostiæ recoluntur mysteria Passionis, & mortis Redemptoris nostri. Microlog. *de Ecclesf. obser. cap.* 16. Unde prima Canonis litera est T. quæ est figura Crucis, ut ex primo aspectu dignoscamus, in eo contineri mysteria Crucis. Innocent. *lib.* 3. *cap.* 1. Dicitur autem Canon secretò, ad indicandum, Deum verè esse absconditum in hoc mysterio. Idem *ibid.*

XII. Sacerdos, antequam incipit Canonem, præmittit quinque actus, & profundè inclinatus, junctísque manibus, & super Altare positis, incipit: *Te igitur, &c.* ad significandam humilitatem & obedientiam Christi, ex qua passus est. S. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 5. *ad* 5. Suarez. & alii communiter apud & cum Quarti *part.* 2. *tit.* 8. *n.* 1. Deinde, cùm dicit, *uti accepta habeas, & benedicas*, osculatur Altare, in signum osculi, quo Christus à Iuda traditus fuit, videlicet in detestationem perfidiæ traditoris, & in commemorationem mansuetudinis Christi osculum acceptantis. Franc. de Nigro in *Addit. ad Ruiz. p.* 3. *§.* 7. *num.* 2.

XIII. Cùm Sacerdos dicit, *Hæc dona, &c.* signat ter super Hostiam & Calicem, utitúrque frequenter in Canone signatione

Crucis, ad exprimendam Christi Domini Passionem, & multiplices cruciatus, quos in ea sustinuit usque ad Crucem, in qua Passio terminata fuit. Ex S. Thoma *q.* 83. *art.* 5. *ad* 3. apud Quarti cit. Est autem hic quoad signa Crucis, quæ super Oblata fiunt, breviter advertendum, quòd ea nunquam fiant in pari numero, sed aut semel, aut ter, aut quinquies. Semel (ait Microlog. *cap.* 14.) propter Essentiæ unitatem: ter, propter Personarum Trinitatem, eò quòd Sacrificium Missæ soli Deo Uni, & Trino offeratur :] quinquies, propter quinque vulnera Christi, & expressam repræsentationem Passionis ejus, ut pluribûs citatîs, notat Suarez *disp.* 84. *sect.* 1. *§. Octavo loco.* apud Quarti cit.

XIV. Consecratio distincta utriusque speciei, est mystica mactatio Agni immaculati Christi Redemptoris nostri. Etenim in Sacrificio Missæ idem ipse Christus incruentè immolatur, qui in Ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit, & simul repræsentatur Sacrificium illud cruentum semel in Cruce peractum. Quarti *p.* 2. *tit.* 8. *post Num.* 8. ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *&* 2. Quamvìs autem sub speciebus panis sit etiam sanguis & anima, & sub speciebus vini

etiam

etiam corpus & anima, totúsque Christus sub qualibet specie; nihilominus id non est ex vi verborum Consecrationis, sed ratione concomitantiæ. Unde vi verborum Corpus tantùm ponitur sub speciebus panis, & Sanguis tantùm sub speciebus vini, atque ità separationis & effusionis Sanguinis à Corpore Christi fit commemoratio & repræsentatio. D. Thom. 3. *p. q.* 74. *art.* 1. quem sequuntur communiter DD. apud Suar. *disp.* 75. *Sect.* 6. *to.* 3. *in part.* 3. Quart. cit. Cæterùm Elevatio Hostiæ & Calicis, Crucis, & Christi in ea crucifixi elevationem significat, ex S. Germ. *in Theor. rer. Ecclesiast.* quinque autem Cruces ad verba, *Hostiam puram*, *&c.* fiunt ad memoranda quinque vulnera Christi in Cruce accepta. Stephan. Eduens. *de Sac. Alt. cap.* 17.

XV. Post Consecrationem fit Commemoratio pro defunctis; quia post mortem Christi anima ejusdem descendit ad inferos, ad liberandas animas piè defunctorum è limbo, & è purgatorio. Quarti *p.* 2. *tit.* 9. *num.* 2. Unde etiam Sacerdos post verba, *Ipsis, Domine, &c.* ad *Per eundem Christum &c.* caput versùs Christum Eucharisticum inclinat, ut repræsentet hunc morientem, qui inclinato capite tradidit spiritum

ritum, & ad liberandos mortuos descendit. Idem *ibid.*

XVI. Dum Sacerdos ad *Nobis quoque peccatoribus*, pectus sibi percutit, & vocem elevans præsentes ad similiter pectora tundenda invitat, designatur, ut nobis fiat ad salutem, quod Hebræi impii in suam perniciem exclamavere: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Gav. *num.* 17.

XVII. Actiones à ℣. *sanctificas*, *vivificas*, *&c.* usque ad *Per ipsum*, *& cum ipso*, *&c.* explicantur hoc modo: In tribus Crucibus ad *Sanctificas*, *&c.* notantur tres horæ, quibus Christus vixit in Cruce: in aliis tribus ad *Per ipsum*, *&c.* notantur tres horæ, quibus mortuus pependit; in duabus extra Calicem designatur emissio Sanguinis & aquæ è latere, vel (juxta Innocent. *de Myster. Missæ l.* 5. *c.* 9.) separatio animæ à corpore; & inter has Cruces velum templi scissum significatur, cùm ante *Per ipsum*, *&c.* Palla de Calice amovetur. Titelm. *c.* 48. Item, fiunt tres Cruces intra Calicem dicendo, *Per ipsum*, *&c.* (intelligendo, *Per Dominum Jesum Christum*) ad denotandum, quòd solus Christus Dominus mortem subierit, Calicémque Passionis potaverit.

Effor-

Efformantur autem tres Cruces, quia Christus Salvator noster passus est in corpore, in anima, & in honore & gloria, ut ait Div. Thomas *part.* 3. *quæst.* 46. *art.* 5. dicens: *Passus est in corpore per vulnera, & flagella; passus est in anima per tristitiam, tædium & timorem, passus est in honore & gloria per irrisiones, & contumelias ei illatas.* Apud Merati *p.* 2. *tit.* 9. *Observat. n.* 7. Porrò, duæ Cruces extra Calicem denotant, tum, quòd Deus Pater & Spiritus S. pro nobis passi non sint. *Merati cit.* tum, quòd separatio animæ à Corpore Christi facta sit non ex violentia Passionis & Calicis, sed ex potestate propriæ voluntatis Christi; Oblatus est enim, quia ipse voluit. Rubeus *lib.* 2. *cap.* 75. Denique elevatur Calix cum Hostia, & statim deponitur in iis verbis, *Omnis honor & gloria*; ad denotandam depositionem Corporis Christi de Cruce, ejusdémque sepulturam. Stephan. Eduens. *de Sacram. Altar. cap.* 17. Quòd autem Calix Pallâ iterum cooperiatur, non fit hoc loco, ut in præcedentibus, ad cautelam, sed ad mysterium; quia in Palla designatur lapis positus ad ostium monumenti. Innocent. *l.* 5. *cap.* 10. apud Gav. *num.* 20.

XVIII.

XVIII. Factâ in præcedentibus commemoratione Crucifixionis & mortis Christi; sequitur *primò* Oratio Dominica septem petitionibûs constans, in memoriam septem verborum, quæ dixerat in Cruce. Durand. in *Rationali, lib. 4. cap. 35. & 47. 2dò.* Additur sub silentio, *Libera nos, quæsumus, &c.* ut intelligamus liberatos SS. Patres è limbo, ad quem secretò descendat anima Christi. Idem *cap.* 49. *3tiò.* Sacerdos cum Patena seipsum signat, dicens: *Da propicius pacem, &c.* ad denotandum, quòd per virtutem Crucis, id est, per Passionem, & mortem Filii reconciliemur Deo. Idem *c.* 50. *n.* 4. apud Quarti *p.* 2. *t.* 10. *n.* 2. *4tò.* Osculatur Sacerdos Patenam; quia osculum est signum pacis, quam & verbis & gestu à Deo petit. Suarez *disp.* 84. *sect.* 1. §. *Alia significatio.* *5tò.* Post osculum Patenæ, removet à Calice Pallam; quia Angelus Domini descendit de cælo, & revolvit lapidem ab ostio monumenti. Innocent. *l. 6. c. 2.*

XIX. *6tò.* Frangit Sacerdos Hostiam in tres partes, & particulam, quam dextera manu tenet, imittit in Calicem, ubi repræsentatur mysterium Resurrectionis Dominicæ per commixtionem Hostiæ cum Sanguine, præmissa fractione totius Ho-

stiæ

stiæ in tres partes; quia facta priùs separatione tum sanguinis à corpore, tum animæ ab eodem, iterum anima rediit ad sepulchrum, &, dum eadem corpori fuit unita, Christus gloriosissimè resurrexit, ut ex Microl. *cap.* 18. Amalar. *lib.* 3. *c.* 32. & communi sententia notat Suarez *disp.* 84. *sect.* 1. apud Quarti *p.* 2. *tit.* 10. *n.* 9. *in fine.* 7*mò.* Producit Sacerdos tria signa Crucis cum Particula supra Calicem, quæ nos admonent vel de Triduo mortis, ex D. Thoma 3. *p.* *q.* 83. *art.* 6. vel de potentia totius SS. Trinitatis in gloriosa Christi Resurrectione, ex Innoc. *de Myster. Missæ*, *lib.* 5. *c.* 2. Fiunt autem hæ Cruces ad quatuor labia Calicis; quia ad quatuor mundi partes pertingit Resurrectio Christi. S. Germ. *in Theoria rerum Ecclesiast.* 8*vò.* Sacerdos dicit elevata voce, *Pax Domini sit semper vobiscum*; quia, *Pax vobis*, dictum est à Christo resuscitato discipulis suis Microlog. *cap.* 20. 9*nò.* Fit Communio Cleri & populi; quia Christus comedens cum Apostolis, sumens reliquias dedit eis. Idem *ibid.*


XX. 10*mò.* Defertur Missale in fine Missæ iterum à cornu Evangelii ad cornu Epistolæ; quia in fine mundi reliquiæ Israël salvæ fient. Quarti *p.* 2. *tit.* 11. *post Num.* 3. citans

citans alios. 12mò. Dicitur *Communio*, seu versus lætitiæ, indicans, quòd gavisi sint Discipuli visô Dominô. Innocent. *c.* 10. 12mò. Dicit Sacerdos Orationem, seu Post-communionem (quæ ab Amalario vocatur etiam Benedictio) ut hic observetur Christus elevatîs manibûs jam ascendens ad orandum pro nobis Patrem, & benedicens nobis; juxta illud Luc. 24. 50. *Elevatîs manibûs suîs benedixit eis, & ferebatur in cælum.* Gav. *num.* 29. 13tiò. Lecta Postcommunione, subjungit, *Dominus vobiscum*, ad indicandum illud, quod Christus promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, Matth. 28. 20. Vualden. *tit.* 4. *cap.* 44. *num.* 5. 14tò. Verba, *Ite, Missa est*, cum *Deo gratias*, in mentem revocant illud, *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* & reversi sunt cum gratiarum actione. Microlog. 15tò. Sacerdos secretò dicit, *Placeat tibi, &c.* quia post Christi Ascensionem *omnes erant perseverantes unanimiter in oratione, &c.* Gav. *n.* 31. 16tò. Ultima Benedictio, *Benedicat vos omnipotens Deus, &c.* missionem Spiritus sancti exprimit, Innocent. *cap.* 14. Ultimum autem Evangelium, Prædicationem Apostolorum demonstrat tum Divinitatis, tum Incarnationis Christi, quâ Gentes magis, quàm

quàm Hebræi post Pentecosten ad Deum devenerunt; unde etiam hoc Evangelium in cornu Evangelii legitur. Gav. *num.* 33. Praxis spirit. 17*mò.* Finitâ Missâ Sacerdos redit ad Sacristiam; quia, sicut Christus de sinu Patris exiens venit in mundum, & consummatîs omnibûs iterum rediit ad Patrem, ità & Fideles post prædicationem & bona opera in gratia perseverantes perventuri sunt ad Dominum nostrum Jesum Christum, &c. Gav. *num.* 34.

Et hîc tandem explicit tota Materia de SS. Missæ Sacrificio, ac aliis ipsum concernentibus. Quæ proin dicta, & scripta sint ad majorem Dei omnipotentis gloriam, cedántque ad Sacerdotum, maximè Neomystarum utilitatem, ac populorum ædificationem desideratissimam: sintque omnia humillimè subjecta Censuræ & Correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; quæ destructîs adversitatibûs & erroribûs universîs, secura semper floreat libertate. Per Dominum nostrum JEsum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto, vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.





INDEX ALPHABETICUS.

RERUM ET VERBORUM

Numerus Paginam indicat.

A.

C.

bus

Diffi-

E.

 Miſſis

Genu-

I.

&

K.

Labium

L.

M.

L.

M.

Missæ

N.

O.

ria

Purifi-

 in

P.

Per

Q.

R.

Reve-

S.

Sym-

T.

V.

Vox.

FINIS.

